


05 A 2484

05

A

2484





39 2
Q. D. B. V.
EXERCITATIONE HISTORICO-THEOLOGICA
**OSCULUM PE-
DUM PONTIFICIS
ROMANI.**

*Consentiente Summè Reverendo Theo-
logorum Collegio,*
PRÆSIDE

MAXIME REVERENDO ATQVE MAGNIFICO,
DN. JO. FRID. MAYERO,
Doct. & Profess. Theologo
undiqve celeberrimo, Alumnorum Electora-
lium Ephoro gravissimo, Templi OO. Sanctorum
Præposito Substituto vigilantissimo, &c.

*Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore meo,
omni pietatis ac observantia cultu æternum
devenerando,*

Ad d. XXI. Aprilis, Anno Æræ vulg. M. DC XXCVII.

H. L. Q. C.

Solemni Eruditorum Examini sisto

**JOANNES HENRICUS Rothwanger /
GEDANENSIS.**

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



05 A 2484





I. N. J.
PRÆFATIO.



Illi perditionis, hominis istius
scelerati expressissimam imaginē, ma-
gnus ille gentium Doctor, atque divi-
nioris Spiritus Amanuensis Paulus, va-
ticipinabundus reliquit, verissima ejus
Κρίθηρια undique complexus his ver-
bis: (a) Ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος Ἰπὶ πάντα λεγόμε-
νου Θεοῦ ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς πᾶν καὶ τῶ Θεῷ ὡς Θεὸν
καθίσαι, ἀποδεικνύοντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός. Quidvis autem
horum in Pontificem R. convenire, dudum annotatum est
iis, qui ejus indolem cum his notis ἀντικείμενις contendere,
exactius allaborarunt (b). Si quis enim quotidianam Cu-
riae Romanae praxin, Scriptaque ejus paulo curatius lu-
stret, detestandum Pontif. R. fastum, insolentiamque sum-
mam, quā se supra omne, quod Deus aut Numen dicitur,
extollit, se pro Deo gerens, ubique affatim deprehendet, nisi
ad lucem mero die se ingerentem cœcutire, id est, vim
veritatis pertinaci errore malit obterere. Non sinunt
cuiquam ignorare Pontificii Scriptores, potestatem atque
auctoritatem vere divinam sibi arrogare & vel Domini-
um in caelos pariter & in terram nescio quo œstro agitato
jactitare Vejoves istos, Bonifacius certe VIII. Cæli Clavi-
gerum se gloriabatur teste Balao. (c) Clemens VI. celsius af-
fectabat impotentē eminentiam, dum quoque Angelos sibi
ut adessent ad imperandum volebat: ita enim in Bullā

A 2

quā

(a) 2. Thessal. II. v. 4. (b) Die Hauptvertheidigung des
Augapffels c. 96. Franc. Gomarus in 2. Thess. 2. v. 4. Oper. pag. 589.
(c) pag. 297.



quadam (d) satis pro imperio loquitur: *Et nihilominus prorsus mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant.* Quid? quod Itali quidam Pontificem tantâ auctoritate pollere asserant, ut aliquem Sanctum è Paradiso deturbatum, in infernum relegare possit, quod ita docet, ut false simul rideat Pontificius licet & ipse scriptor *Libelli de Cardinalismo.* (e) Exemplo erit *Joannes Semeca, Praepositus Halberstadiensis,* primus Juris Canonici glossator, qui à *Clemente IV.* canonizatus, ab *Urbano IV.* excanonizatus fuit. (f) Hinc *Baronius* (g) *Sylvestrum Pontif. M.* hoc titulorum male pertinaci nexu circumdat; quod *Primitu alter Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedeck, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, ac divinâ exsiterit AUCTORITATE CHRISTUS.* Sic infinitatem potestatis Pontifici R. quoque tribuit *Augustinus Anconitanus* (h), additâ insuper verborum ex Sacrae Scripturae oraculo detortorum blasphemiam: *ex ejus quippe plenitudine omnes accipere.* (i) Et in *Concilio Lateranensi* sub *Julio,* Patres acci-
 mant Papæ: *Tu es omnia & supra omnia: omnis potestas tibi data est in caelo & in terris.* Hinc illæ egregiæ Scholasticorum disceptationes: An Papa possit arbitrato suo caelo excludere etiam immerentes: utrum simplex homo sit, an quasi Deus: an participet utramque naturam cum Chri-
 sto,

(d) quæ continetur in tractatu de materiis indulgentialibus *Job. Pbestei Prof. Friburgensis Pontificii,* cum quo fratre *Cadmeo Lojolas* proinde committimus. (e) part. 1. p. 97. (f) conf. *Magnif. Dn. Praesidis Commentatio de Pontificis Romani Electione* p. 9. plura exempla dabit *Gisb. Voëtius P. III. Disp. Select. de divis sanctis Chimericis de sanctis exsanctis* p. 517. seqq. (g) T. III. *Annal. ad Ann. 335.* (h) in *Prefat. Libri de Potestate Ecclesie ad Job. XXII.* (i) *Durandus Lib. 2. divinor. officiorum. c. 1. n. 17.*

sto, an clementior sit Christo, cum is non legatur, quoniam
quam à purgatoriis poenis revocasse V. Erasmus (k), qui
adeò verissime dixit: *de Romani Pontificis potestate penè
negotiosius disputari, quam de potestate Dei.* Nec mi-
nus Pontifex Romanus summam sibi in ipsam Scripturam
Sacram atque dogmata fidei vindicat potentiam, ita enim
Innocentius III. in Decretal. (l) *Licet autem intentionis
nostra non sit, investituras de Vacaturis factas contra Cano-
num instituta ratas habere, qui secundum plenitudinem po-
testatis de jure possumus supra jus dispensare.* Quæ verba
Glossa ita explicat: *Papa enim dispensare potest contra
Apostolum, contra Vetus Testamentum, contra vota & jura-
menta.* Ut adeo verè de eo pronunciaverit Baldus (m):
Papam esse præter, supra & contra jus, omniaque posse. Sed
& aliam sufficit explicationem Glossa Decretalium: (n)
*Dico quod Papa possit dispensare contra jus nature & con-
tra Apostolum: Et Capistranus (g) Papa dispensare potest
contra auctoritatem Apostoli, quia Papa est major Apostolo.*
Cardinalis Perronius Libro II. adversus R. Angliæ peculiari
capite agit de auctoritate Ecclesiæ in mutandis iis, quæ in ver-
bo Dei continentur (p) Ex quo sane efficitur, Pontifices Ro-
manos se extollere supra id, quod Deus aut Numen dici-
tur, quod tam improbe jura Ecclesiasticæ dignitatis in sa-
cro Codice definita migrare non dubitent. Siquidem
ipse Deus, cum sibi lex existat, potentiam suam intrinsecus
his limitibus circumdedit, ne quid posse velit, quod juri na-

A 3

turæ

(k) annotat. in 1. Tim. 1. fol. 464. (l) de Concess. Præbend.
tit. 8. cap. Proposuit. (m) Baldi hoc dictereum refert Phil. Decius
Conf. 588. n. 5. apud Rittershusium differ. Jur. Cap. 10. & Can. Lib. 7.
c. 9. p. 247. (n) ad c. 15. qv. 6. c. auctoritatem (o) Libro de Papa
& Ecclesiæ auctoritate fol. 95. (p) Observat. 3. c. 3. p. 674. Conf P.
Molinaus in Novit. Papismi præfat. & Lib. VII. c. 37. p. 142. q. 1.
ostendit, quæ ratione Pontif. R. juramenta remittere posse dici velis.

turæ repugnet, quod, ceu mutari nesciū, hominibus com-
 mendavit. Papa vero Romanus se Deo potentio-
 rem fingit, dum non hanc tantum potentiam sibi vanè tribuit,
 sed de facto etiam formam Sacramentorum *non obstante*
Verbo Dei, uti religiosi Patres in *Conciliabulo Obstantiensi*
 loquebantur, profanissimo conatu immutavit, & hodie-
 num *contra gradus lege divina prohibitos*, auri sacræ fame
 captus *dispensat*. Postquam itaque R. Pontif. suis persva-
 serat, sibi integrum esse, legem Dei immutare, non adeo
 mirum, quod & eo audaciæ progressus sit, & *nova fidei*
Dogmata, novumque *symbolum condendi jus sibi relictum*
 impie venditaret, quâ de re pluribus egit *Doctissimus Rive-*
rus (q), ad quem B. L. remittimus. Ut de Libris Apo-
 cryphis à Papâ R. in Canonem receptis jam nihil dicam.
 Equidem nostris temporibus Vir alias clarissimus *Daniel*
Huetius eo processit pervicaciæ, ut Ecclesiæ recentiori
 potestatem ex Libro non Canonico, Canonicum faciendi
 attribueret (r); quam falsa autem & periculosa hæc Viri
 sit sententia egregie demonstravit *Magnif. DN. PRÆSES*
Præceptor ac Promotor Studiorum meorum filio digna pietate
eternum colendus (s) Quid de titulis istis Idololatricis Pon-
 tifici ab Adulatoribus suis tributis dicam? Legat modo quis
Raynaudi Coronam Aureâ supra mitram Pontif. R. Romæ
1674. impressam, atq; Bezovii Pontif. R. & vesaniam homi-
num mirabitur. Scioppius sane homo à veritate & me-
diocritate semper alienissimus, Papam Deum Deorum
appellare, non dubitavit. (t) Et Siculi anathemate percussi,
 cum res suas in ultimum adductas discrimen viderent,
Martino IV. supplices advoluti conclamarunt: Agnus Dei
 qui

(q) in *Jesuita Vapulante* c. 7. Oper. Tom. III. p. 518. (r) *De-*
monstrat. Evangel. p. 473. (s) in peculiari hac de materia contra
Huetium dissertatione. (t) in *Classico Belli sacri* c. IV. pag. 29.
sitante Tuba Pacis p. 162.

qui tollis peccata mundi miserere nostri, & dona nobis pa-
 cem, quod ex Paulo Emilio adducunt Mornaus, (u) & B.
 Dannhauerus (x). De Leone X. & Paulo V., quorum ille
 Leo de tribu Juda, Radix David, Sponsus Ecclesiae; hic au-
 tem Vice Deus appellatus est, videri potest, Magnif. noster
 MATERUS. (y) Horret certe animus, quoties mentio su-
 bit blasphemi istius adulatoris Job. Baptista Catumsyriti,
 qui in Anagrammate, seu elogio Cardinalis Pamphili,
 comparatione inter Christum & Innocentium X. instituta
 hunc majorem Christo, pro scelus! facit, integrum illud
 ex meris confarcinatum blasphemis elogium recenset
 Laur. Banck. (z) Fusius haec deduci possent, nisi actum
 hic agere nollemus, cum plurimi in conquirendis titulis
 illis superstitiosis & caecae venerationis absurdis dedica-
 tionibus, seduli fuerint, magnamque farraginem exhibue-
 rint. (a) Unicum impraesens externum, interni fastus e-
 nixissimum signum, Adorationem, quam non minus Gna-
 thones hi Pontifici suo tributam volunt, adduxisse suffi-
 ciat. Honor enim qui defertur Papae major est, quam qui
 defertur omnibus Sanctis dicit Marchant. (b) Ideo in Con-
 cilio Lateranensi (c) sub Leon X. Antonius Puccius excla-
 mabat: In hoc uno vero atque legitimo Christi & Dei
 Vicario

(u) In *Mysterio Iniquit.* p. 910. (x) *Colleg. Decal. Disp. 2. §. 30.*
 (y) in *Reisenden Intheraner* p. 135. 136. (z) in *Roma Triumph.* p. 235.
 (a) V. *Laur. Banck de Tyrann. Papa* p. 18. 19. *Mornaus in Mysterio ini-*
quicatis passim. Jac. *Capellus de Sedis Romana potestate* C. XXV. Fr.
Hottoman. in Bruto fulmine cap. 2. *Calixtus Resp. I. ad Mogunt.* §. 97.
 & 98. *Clar. Becmannus de notit. Dignit. illustr. Dissert. 3. c. 3. n. 1. p. 726*
 & *Diss. 13. c. 1. §. 12. p. 350.* B. *Dorscheus in Antikirchero* p. 113. & in
*Religions Scrupel Praef. **** VI. B. D. Dannhauerus in Anti-*
Christosop. p. 756. *Et conferatur omnino Magnif. Dn. Praeses in Dissere.*
Anti-Grotiana, utrum Dogma Papistarum sit, Pontificem Romanum
esse Deum. (b) in *Horto Post. Tract. V. Lect. 3. p. 415.* (c) *Sess. 9.*

Vicario Propheticum illud rursus impletum: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient.* Et Legatos Florentinos, Sanctitatem Pontificis hyperduliâ adorasse auctor est Antoninus. (d) Leviora hæc videbuntur, si cum his, quæ sequuntur, comparentur. Antoninus enim Diana celeberrimum alias inter Pontificiorum Moralistas nomen, Pontificem R. *tunsiõne pectoris debere adorari asserit,* (e) immo inter precandum aut etiam in celebratione Missæ ad nomen Pontificis genua esse incurvanda idem statuit. (f) Et Caramuel honorem Deo debitum Pontifici Romano salvâ conscientia posse tribui, sine conscientia scribit (g). Quid igitur mirum, Cardinalem Columnam in Lateranensi Basilicâ claves INNOCENTIO X. oblaturum, ita illum allocutum esse: *Nos Te solû nostrum Patronum, caput summum, & Episcopum, ac Spiritualem Patrem unice veneramus, colimus & adoramus & nos omniaq; nostra paterne ET PLUSQVAM DIVINÆ tuæ dispositioni ac cura reverenter submittimus ac summe commendamus.* (h) Ex hoc ipso capite etiam supra omnes Reges ac Princeps, qui à Spiritu S. etiam *Dii in terris* appellantur, (i) satis superciliosè & impotenter se extollit, vilissima ab ipsis etiam Imperatoribus exigens ministeria, quæ de re Ceremoniale Romanum (k): *Quando Papa per scalam ascendit equum, major Princeps qui presens adest, etiamsi Rex aut Imperator esset, stapham equi papalis tenere debet, & deinde ducere equum per frenum aliquantum. Si Imperator aut Rex soli essent, i. e. non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextrâ manu. Sin vero esset alius Rex dignior dextra, alius sinistra frenum teneret: Si vero Pontifex non equo sed sellâ veberetur, etiamsi Imperator aut Rex adesset, sellam ipsam cum Pontifice humeris portare aliquantulum debent.* Et quæ reliqua satis ignominiosa ministeria sunt, quæ ex

Cere-

(d) Part. 3. Hist. tit. 23. c. 17. (e) Part. XI. Oper. Moral. Tract. de Adoratione summi Prntificiis Resolut. VIII. fol. 495. (f) l. c. p. 496. (g) de Hierarchiâ Eccles. L. 1. disp. 60. n. 680. (h) apud Laur. Banck in Roma Triumph. p. 385. (i) 1. Cor. 8. v. 5. (k) L. 1. f. 3. 6. 3.

Ceremoniali Romano adducit *Clarif. Becmannus*: (1) Quam indignè *Fridericum Barbarossam Alexander III.* habuerit, constat, ita ut Pontificios ipsos hujus facti pudeat, unde cum *Baronio* suo id plane negare audent. Quamvis sciamus, quosdam Politicorum hanc sententiam abjudicare, quod & *Fridericus* auctoritatem suam armis in Italiâ asseruerit, Pontificique acriter restiterit, & *Francos* atque *Saxones* nil tale passuros, in comitatu habuerit, deinde quod hæc ignominia ingenio *Friderici* heroico haud congruat, denique quod *Scriptores* etiam *Friderico* æquales & *Diarium* de vitâ *Friderici* proditum nil tale commemorent; attamen his satisfacit peculiari *Dissertatione Clarissimus Wagenfeilius*, ut adeo vix dispiciamus, quare fidem *Scriptoribus Venetis*, utpote rem in patria sua gestam, & quidem de *Reipublicæ* suæ amicissimo, qualis erat *Alexander*, scribentibus, derogare quis velit. Vid. *P. Justinian.* (m) Et *Sabellicus* (n). Conferatur præterea *Mornæus* (o) *Laur. Banck*, (p) & *Andreas Rivetus* (†). Ut adeo Pontificii tam spisse hoc sacri dominatus monumentum dissimulare & suppressere satagant, quam quidem eruditæ inscitæ velo obnubere contendit puerperium *Joannæ Papissæ* cum cæteris recentioribus, ceterū laudatissimus *Leo Allatius*. Proinde ut pecuniam in loco negligere maximū interdum est lucrum; ita scientiam & conscientiam in loco repudiare sapientiæ forte & prudentiæ apponetur. Atque ingenium & eruditionem ad labefactandam veritatem & probabilitatem monstruosissimis conciliandam opinionibus conferre, id demum est *Musas* non *Charites*, sed *furias* fingere. Sed ut ad rem redeamus, parem insolentiam Pontificis R.

B

Cele-

(1) in notitia dignit. illust. Dissert. XIII. c. 2. §. 6. p. 357. (m) Lib. II. Rerum Venetarum (n) L. VII. Decad. 1. de Rebus Venetis (o) in Myster. iniquit. p. 721 (p) de Tyrannide Papa p. 468. (†) in Jesuita Vapulante cap. XXVIII. Oper. T. 3. p. 702.

Celestini III. Henricus V. & uxor ejus, cum consecrarentur, experiebantur. Sedebat enim Dominus Papa, (verba sunt Baronii (q)) in cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes suos, & Imperator inclinato Capite recepit coronam, & Imperatrix similiter de pedibus Domini Papae. Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo coronam Imperatoris & dejecit eam in terram, significans, quod ipse potestatem ejiciendi eum ab imperio habet, si ille demeruerit: sed Cardinales statim arripientes Coronam, imposuerunt eam Capiti Imperatoris. Atque ut Imperatores & Reges sciant, non gratis ab his pedibus in se illudi, majestatemq; conculcari, ipsos iis perinde ut fidelibus suis exhibet deosculandos, ita namque Baronius (r): Non minor honor debetur Papa, quam Angelis: unde Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes & oscula Pedum (quasi vero unquam Angelus talia aut exegerit aut receperit.) Adde ipsius Libri Ceremonialis verba: Imperator Coronationem petens à Pontifice, illius pedes publice osculetur: Et ut primum Pontificem videt, delecto capite illum, genua terram tangens, veneratur: Et iterum, cum appropinquat ad gradum sedis, genua flectit, demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devote osculetur. (s) Quæ eadem succincte Dounanus ex Capistrano proponit: Omnes Christi milites sacris pedibus summi Pontificis incurventur, & flexis poplitibus etiam Imperatores & Reges adoratione debita prosequantur (t).

Atq; isthæc Pontificibus Romanis, sedis Apostolicæ servis servarū Dei frequentata celsissimæ humilitatis insolentia est. Ita dirum desolationis portentum stans in loco sacro lambunt, summi pariter & infimi, quotquot in cœcā induci superstitionem, numinis supra Numen vanitatem & inertiam minime omnium intelligunt. Pontifex salutatur dum pedibus libantur oscula. Quam Bestiæ Apocalypticæ adorationem, exercitiū gratia commentatione quādam extendere operæ pretium duxi. Complectar autem

(q) Baron. T. XII. ad ann. 1191. sect. 10. (r) ad ann. 1155. n. 6 (s) Lib. II. sect. 5. p. 91. (t) in Diatriba de Anti-Christi Lib. 4. c. 10. p. 308.

autem universam tractationem tribus capitibus; quorum primum *Ortum & Progressum* hujus ritus exponet, secundum *judicium quoddam morale* continebit: Tertium denique *problemata quaedam circa hanc rem* subjiciet. Deus autem benignissimus osculetur me osculo oris suis, (u) & Spiritu suo Cor meum illuminet (x), conatus hosce meos provehat, & omnia in Nominis sui divinam gloriam dirigat, quo ipsi soli adhærere semper pulchrum atq; unice salutare existimemus omnes, labiaque nostra ab impuris meretricis Babylonice amplexibus, insvavibusq; svaviis, pura ac illibata servemus. Fiat!

CAPIT I. Historicum

exponens

Ortum atq; progressum hujus ritus.

§. I.

UT igitur rem, quod dicitur, ab ovo ordiar, notandum ante omnia, apud antiquos, tam intra quam extra ecclesiam, oscula non uno modo in reverentiæ signum adhibita fuisse, quæ de re *Herrenschmidt, Kempius, Franc. Romanus*, (†) itemq; Doctissimus *Fesselius* (††) ex instituto egerunt uberrimè, quæ hic repetere, aut fusius persequi instituti ratio non permittit.

§ II. Quod autem (ut propius ad rem accedam) ad osculum *submissionis & religiosum* in specie attinet, cujus generis etiam osculum pedum Pontificis R. esse, apud omnes in confesso est, si in prima ejus incunabula inquiramus

B 2

mus

(u) *Cantic. 1. v. 1.* (x) *vide ita osculum explicantem Ambrosium L. de Isaac & anima c. 3.* (†) *peculiaribus de osculo commentariis.* (††) *Adversar. sacr. Bib. III. 6. 7.*

mus antiquissima ritus hujus monumenta à coeæ gentis
& mentis Ethnicis suppeditari observabimus. Apud illos
enim nefas habitum Deos sine osculis accedere. Vernacu-
lum autem huic cultui ritum in tria potissimum officia di-
spescuisse docet Lipsius (†††). Primò enim simulacris ap-
plicuerunt ipsa ora, illorum modo labia, modo manus, mo-
do pedes etiam exosculati. De his ultimis enim, ut reliqua
siccò prætereamus pede, ita *Appulejus* (y): *Exosculatis ve-*
stigiis Dea, quæ gradibus hærebat argento formata, ad suos
discedunt lares. Et Prudentius canit: (z)

*Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis & soleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incurvare Diane.*

Quem ritum apud *Tartaros & Indos* adhuc observari, ex
Erasmo Francisci & Petro Della Valle annotat *Kempius*. (a)
Atque hæc ratio Deos exosculandi in divino cultu simpli-
cissima existit; Altera erat magis superstitiosa & quæsitio-
nis cultus. Verebantur enim plerumque Deos ipsos ore
profano suo tangere, proinde capite submisso, eminusque
stantes, manum porrigebant, eamque statim reverenter ad
os relata[m] svaviati sunt, quâ de re *Plinius* (b): *In adorando*
dextram ad osculum referimus & toto corpore circumagimus. Ex
Minucius Felix (c): *Cacilius Simulacro Serapidis denotato, ut vul-*
gus supersticiosum solet, manum ori admovens, osculum labiis im-
presit. Appulejus item (d): *Nulli Deo ad hoc avi supplicavit: nul-*
lum templum frequentavit: si favum aliquod prætereat, nefas ha-
bet adorandi gratiâ manum labris admovere. Et alibi: (e) Mul-
ti Civium & advena copiosi, inaccessa formositate admiratione stu-
pidi & admoventes oribus suis dextres, primore digito in erectum
pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerunt religiosis ado-
ratio-

(†††) L. II. *Electior. c. 6.* (y) L. XI. *Metamorph.* (z) in *Apo-*
stocosi, Vers. 528. seq. (a) de *osculo p. 239.* (b) L. 28. c. 2. (c) in *O-*
llatio. (d) *Apolog. prior.* (e) L. V. *Milesiar. de Psyche.*

rationibus venerabantur. Addo quæ *Adriæus Turnebus* de cultu hoc Idololatrigo gentibus usitato memoriæ prodidit: (f) *Veteres solitos in portis urbium aliqua Deorum simulacra statuere, quæ, qui urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam Religionis tacta dexterâ manu salutare consueverant, moxque manum ad osculum referre.* Hic habitus receptissimus & velut solennis adorantium fuit, unde etiam adorare *Lipsio* est, quasi manum ad os admove- vere. Quamquam de Formâ hujus ritus inter *Lipsium* & *Salmasium* non conveniat: Ille enim gentiles manum prius suam versus signum protendisse, Idolumque tetigisse, demum exosculatos esse asserit; Hic autem manum suam nudè, absque protensione sibi aviatos esse Ethnicos statuit. Quicquid vero hujus rei sit, illud certissimum, Ritu- tum hunc vetustissimum, ac Orientalibus etiam in cultu Astrorum usitatum fuisse, ut vel ex solo *Jobi* loco, qui ta- men ante *Mosis* tempora vixisse perhibetur, constare po- test, ita enim inquit: *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & osculatus sum manum meam ore meo,* (g) i. e. si Lunam aut Solem adoravi, quemadmo- dum DEUS ipse alibi hoc interpretatur, Populo Israelitico interdicens: *ne sublatiis oculis tuis ver- sus cælum, quum aspexeris Solem aut Lunam, aut stellas, ullam rem exercitus cælestis, tum impellaris, & incurvans te eis, colas ea, quæ impertitus est Jehova Deus tuus reliquis omnibus populis sub universo cælo.* (h) Consentit *Hiero- nymus*, (i) qui adorant, inquit, solent deosculari manum & capita submittere. Videantur præterea *Job. Gerhard Vossius*, (k) *Pineda* (l), *Bolduc*. (m) & alii in hunc locum *Commentatores*. Tertio denique ex vanâ potius superstitione, quam cultu divino,

B 3

Gen-

(f) *Adversar. L. 18. c. 6. & L. 25. c. 1.* (g) *Job. XXXI. 26. 27.* (h) *Deut. IV. 19.* (i) in *Ruffin.* (k) de *Idololatriâ gentili L. 2. c. 3.* (l) in *b. part. 2. p. 384.* (m) in *b. l. part. 2. p. 462.*

Gentiles Deorum templa frequentantes, aris, postibus, & liminibus oscula dabant, quò spectat illud Tibulli:

*Non ego si merui dubitem procumbere Tempis,
Et dare sacratis Oscula liminibus.*

Abjiciebant autem se, & osculis, lacrymisque terram complebant, & crines etiam foeminae sparsim effundebant, quo de videri potest Lipsius. (n)

§. III. Quemadmodum autem Deos osculis, ita etiam eorum Ministros *Sacerdotes* venerari, fas esse putarunt Ethnici. Ac ceteros quidem vulgò in manibus, Romanos verò Pontifices, qui in templis prope januam, lecticam ad hanc rem præparatam habuerunt, etiam in pedibus hæc recepisse reverentiæ Symbola, ex *Plutarcho* tradit *Polydor. Vergilius.* (o) *Apud Tartaros quoque Summus Sacerdos equo pulcherrimè ornato circumducitur, Rex tantum manus ipsius osculatur, nobiles tantum admittuntur ad oscula genuum, reliquis plebejis vix licet calceos osculari.* Vid. *Frantzius.* (p)

§. IV. Ut ut autem hic ritus specialis quasi, ac proprius cultus divini apud Ethnicos fuerit, successu tamen temporis multa de cultu divino sunt usurpata, quæ honoribus delata humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera, ut loquitur *D. Augustinus,* (q) Imperatoribus enim atque Regibus ab Adulatoribus suis oscula data sunt; donec nonnulli eorum nimium inflati, oscula vel vestium, vel manuum, vel denique etiam pedum, tanquam speciale Reverentiæ ac submissionis symbolum à subditis suis exegerunt. Quæ consuetudo primam suam Apotheosi Gentilium debet originem, siquidem illi Reges suos ac Principes optimè meritos, inter Deos referre consueverant, quæ de re graviter *Lactantius,* (r) cujus verba digna sunt, quæ huc transcribantur: *Quibus ex rebus, quum constet illos homines fuisse, non est obscurum, quæ ratione dii ceperint nominari. Si enim*

(n) l. c. (o) L. IV. de Inventor. Rer. c. 13. (p) Histor. Animal. L. 1. c. 14. (q) L. X. de Civit. Dei cap. 4. (r) L. 1. Instit. cap. 15.

enim nulli Reges ante Saturnum, vel Uranum fuerint, propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant: non est dubium, quin illis temporibus homines regem ipsum, totamque gentem summis laudibus ac novis honoribus jactare ceperint, ut etiam Deos appellarent, sive ob miraculum virtutis, (hoc verò putabant rudes adhuc & simplices) sive (ut fieri solet) in adulationem presentis potentiae, sive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi Reges, quum cari fuissent iis, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium: progressive longius per amorem, memoriam defunctorum colere ceperunt, ut & gratiam referre bene meritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem. Varias autem Ceremonias in hac apotheosi observabant, quas alii prolixius describunt: (s) Speciatim verò, osculum pedum etiam, quod pars cultus divini esset, ad demortuos inque numerum Deorum relatos Principes transferebatur. Donec tandem Imperatores nonnulli, ex fastu & ambitione nimiam se ipsos adhuc vivos, tanquam Deos coli à Parasitis suis permiserunt, quin & nonnulli cultum hunc omnino exegerunt (t) Hinc primum *Purpura Imperatoria* adorabatur, quod fiebat, cum tacta purpura, manus ad osculum referebatur, quà de causa & *labratum*, quod manu extremis admotà labris fieret, dicebatur. Ad eam tamen non omnes promiscue admittebantur, imò maximus ille honor erat, jus adorandæ purpuræ consequi, non nisi Nobilioribus, Consulibus, & eximiè meritis Ministris concessus. *Vid. Laurent. Banck, [u] & Francisc. Romanus. [x]* Deinde etiam manus Impera-

(s) *Alexand. ab Alexandro Genial. Dier L. VI. c. 4. Guido Pancirollus & Salmuth. Rer. Deperd. T. II. p. 11. Kirchmannus de Funer. Roman. L. IV. c. 13. & 14. Joh. Bapt. Casalius de Veter. Sacri. Christian. Rit. c. 69. Polydor Vergil. L. 1. de Rer. Invent. c. 5. (t) Vid. Causaubon. in Sueton. cap. 2. in vitâ Vitellii (x) in Româ Triumph. p. 491. (x) in Differentiis de osculis §. 7.*

peratorum atque potentiorum basiati sunt, quod natum esse videtur à blanditiis Candidatorum prensantium, rogantium, & alienas manus osculantium, quâ de re omnino legendus *Lipsius*. [y] Demum ad genua imò ad pedes ipsos perventum est, in quibus primus omnium oscula, summa Reverentiæ ac submissionis Symbola excepit *C. Caligula*, qui ut *Dio Cassius* ait; paucissimos osculatus est, plerisque autem etiam Senatorum, vel manum vel pedem præbuit. Et de *Pomponio secundo*, tunc Consule, scribit; quod pedibus *Caligula* adsidens, identidem se inclinans eos osculatus sit. [z] Similiter *Svetonius* [a] singulare Adulatoris pessimi recenset exemplum: *Vitellius*, inquit, miri in adulando ingenii, primus *C. Casarem* adorari ut Deum instituit: Cum reversus ex *Syriâ* non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens. *Claudium Uxoribus Libertisque* addictum, ne quâ non arte demereretur, pro maximo munere à *Messalinâ* petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos; detractumque focculum dextrum inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus. Quod *Vitellii* singulare honoris novi exemplum postmodum non tantum admisit *Maximinus Junior*, qui ob corporis robur superbissimus erat, manum porrigebat, & genu sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes; [b] Sed & omnino ordinarium esse voluit *Diocletianus*, peculiari edicto fanciens, ut promiscuè omnes prostrati, pedes exoscularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis & margaritis. (c) Hujusmodi osculum pedum ex fastu Orientalium Regum, barbaraque super-

(y) *L. 2. Elect. c. 6.* (z) *Dio Cassius histor. Rom. l. 59. Conf. Sveton. in vitâ Caligula, Orosius L. 7. c. 5. & Seneca L. 2. de Benefic. c. 12.* (a) in *Historiâ Vitellii* p. 253. edit. *Amstelod. 1661.* [b] *V. Julius Capitolinus histor. Cesar. aug. in Maximino Juniore edit. Casaub. p. 268. & Alexander ab Alexandro L. 2. genial. dier, c. 19.* [c] *V. Pompon. Latus in Compend. histor. Roman. & Eutropius L. IX. c. ult.*

superbiâ originem suam traxit, nam jamdum *Persis* rerum potentibus non fuisse ignotum, docemur à *Xenophonte*. (d) Et *Alexander ab Alexandro*: apud *Persas*, *Medos* & *Indos* Reges adorari, & in salutando, homines toto corpore procidere invenimus, scribit. (e) Quod hodie adhuc in *Persia* obtinere, Regesque ibidem osculo pedum adorari testatur *Olearius*, (f) & *Petrus Della Valle* (g).

§. V. Prima hæc atque vetustissima sunt *Podolatrias* vestigia, quibus tenacissimè inhæret *Pontifex R.* Ille enim more *Gentilium*, Regem & Sacerdotem se jactitans, (h) eadem summæ reverentiæ & extremæ humilitatis officia, ab omnibus hominibus exigit, ut adeò *Pontif. R. C.* *Caligulam* vel *Diocletianū* exempli loco studiosissimè imitandum sibi proposuisse, felicissimâque & prope omnimodâ æmulatione vivum repræsentare, existimârim, tanta enim ubique convenientia deprehenditur, ut nec lac lacti, nec ovum ovo magis simile esse queat. Sicuti enim apud gentiles primùm *Imperatorum* demortuorum statuæ osculo afficiebantur, post vivis etiam honor hic à basiatoribus eorum delatus est; Ita etiam *Pontifex R.* honorem, quem *Sanctis* eorumque *Reliquiis* tribuit, sibi etiam deferri cupit: Quò spectat, quod *Pontificii* peractis ac finitis *Sacris* in celebratione *Missæ*, *Reliquiarum* partem, aut crucem, aut etiam *Agnum DEI* magnâ cum devotione circumferant, populoque ad osculandum proponant, vulgò *Das Pacem* füssen vocant. (i) Cùm vero *Pontif. R.* utut innume-

C ros

(d) *Cyropedias* L. 7. (e) *Genal. Dier.* L. II. c. 19. pag. 202. Edit. *Tiraquell.* (f) L. 1. *Itinerar.* c. X. (g) *Itiner.* part. 2. p. 117. (h) *V. Hunnius in Apostas. Roman. Eccl.* p. 312. (i) *V. de hoc ritu Stuck.* L. 2. *antiquitat. connival.* cap. 32. *Gvil. Durantus* L. 4. *ration. divin. offic. Job. Steph. Durantus de ritibus Ecclesie Cathol. Casalius de veter. Christianor. ritibus* cap. 59. *Bellarmin.* T. 3. *Controv.* L. 2. *de missâ* c. 15. *Corn. à Lapide Comment. in 2. Cor.* XIII, 12.

ros ferè homines Sanctorū catalogo inscribat, vix unquam post fata inter Divos referatur, (k) ideò vivus adorationem exigit. Et quemadmodū C. Caligula pedes suos ad osculandum porrexit, & Diocletianus peculiari edicto sanxit, ut omnes promiscuè pedes sibi oscularentur: Ita quoque P. R. in Ceremoniali Romano omnibus hominibus, cujuscunqve etiam fuerint conditionis, mandat, ut quando primum in conspectum suum veniant, ter genua flectant, & summā cum reverentiā ac humilitate pedes sibi exosculentur. Diocletianus ob id pedes suos auro, gemmis, atque margaritis distingvebat, Papa aureā crepidā pedem suum exornat, & aureā insuper cruce insignit. Gentiles discrimen aliquod in osculando observarunt, dum alii os, alii manus, alii genua, alii denique pedes sibi osculati sunt, quale discrimen apud Persas quoque in osculando observavit *Herodotus*, (l) & simile ferè apud *Tartaros* obtinere, ex *Frantzio* supraannotavimus. Quid autem aliud agit R. P.? Ille simili ratione *septem modis accipit osculum: videlicet ad os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genua, & ad pedes* teste *Durando*. (m) Quod discrimen basiatorum sæpius notavit testis oculatus *Laurentius Banck*. (n) Quis ergo jam dubitaret, R. P. ritum hunc, quemadmodum plures alios, à gentilibus vetustissimo more, quasi per manus traditō, accepisse & hodiernum retinere, siquidem non insolitum est Pontificiis, plura ex Ethicismo mutuata in suam Synagogam transferre: exemplorum loco, ut plurima alia silentii peplo jam involvam, Consecratio Sanctorum, adoratio Imaginum, Flagellatio, aquæ Australis usus &c. esse poterant. Unde plurimi jam olim Pa-

(k) *V. Voërius de Canonizat. Sanctorum Part. 3. Disput. Select. p. 411.* (l) *L. 1. pag. 65.* (m) *L. 4. Ration. c. 53. p. 202.* (n) *in Romā Triumphante p. 167. 171. 235. 255. 266, 386,*

Papismum ab Ethnicismo imprægnatum esse, conqvesti sunt. (o)

§. VI. Ne autem Idololatriæ Gentilis rei videantur Basiatores nostri, aliò modò procedunt, atqve morem hunc à Christo, ejusqve Apostolis se accepisse gloriantur. *Polydorus* enim *Vergilius* ritum hunc ab exemplo Christi, Mariam Magdalenam ad osculum pedum admittentis deducit; *Lorinus* autem, *Cornelius à Lapide*, (p) quibus & *Josephus Stevanus* (q) atqve *Casalius* (r) assentiuntur, morem se demittendi ad pedes Pontificis eosqve osculandi, ex primorum fidelium reverentiâ erga Apostolos, bona sua ad pedes eorundem deponentium, pro manasse affirmant. Sed quod primum attinet, exemplum Christi plane extraordinarium est, & ad imitationem trahi nequit; Christus enim, Deus verus, verusqve homo in unitate Personæ, à foeminâ peccatrice facilè adorationem atqve osculum pedum admittere potuit, quod tamen imitari, nullus, ne Apostolorum quidem ausus fuit, siquidem honor, qui defertur Deo, non statim etiam homini quoque attribuendus est, ut adeò honorem homini deferendum ex honore Deo delato deducere velle plane inconveniens sit. Quod autem primi Christianorum bona sua ad pedes Apostolorum deposuerint, ex eo non sequitur, illos propterea pedes Apostolorum adorasse atq; exosculatos esse, uti ex inferius capite II. dicendis pluribus constabit. Manet ergò hunc ritum ex impuris cœcorum gentilium paludibus pro manasse, uti ex antea dictis cla-

C 2

re

(o) Vid. *Nicol. Hunnius Apostas. Roman. Eccles. pag. 281. & in tract. quod Ecclesia Romana non sit Christiana cap. VII. pag. 33. seq. B. Dannh. Hodom. Spir. Papai Phantasm. II. p. 473. seq. Dan. Maier in Transennâ Historico Theolog. de Papatu Romanensi per Ethnicismum imprægnato Joh. Valkenier in Româ paganizante Itemq; Doctiss. Voëtius in dissert. de Gentilismo T. II. Disp. Seleccion. p. 597. (p) in Act. IV. 35. (q) de osculo Ped. P. R. (r) de Veter. Christ. sacr. Rit. part. 3. c. 8. p. 409.*

re evictum; Quod nec ipse Polydorus Vergilius diffiteri potuit: *Institutum* inquit, ut nos Pontificum nostrorum pedes exosculemur, à Romanis Pontificibus duxerim, quò mos ille osculandi antiquus, à Deorum etiam cultoribus servatus ad veram Deitatem usurparetur: Perinde quandoquè expedit ad alliciendos hominum animos ad veram Religionem, ut quod apud illos honori antea fuerat, non tollatur penitus, sed sanctiori instituto ad consimilem adhibeatur cultum. (s) Optime huc referri potest dictionem Pauli III. Pontif. R. qui, cum de Potestate Pontificis inter familiares aliquando mentio incidisset, solebat illos ridere ut Scholasticos, & rerum rudes, qui à Christo eam tam anxie repeterent, cujus se possessionem, vel solam optimum & firmissimum Titulum habere dicebat, quam viribus opibusque summis, Civitatibus munitissimis, & principum sibi conjurantium auxilio tue-ri ac defendere posset. (t) Confer. præterea Nicolaus Hunnius. (u)

§. VII. Cognitâ itaque primâ Idolatrias Papalis origine, progressus ejusdem explicandus, & quomodo in Christianorum coetum relatus sit, dispiciendum porro restat. Equidem res illa difficultate suâ non caret, nos tamen pro ingenii modulo paucis illam explicatam dabimus. Apostolorum quidem aetate, & quæ illi proximè successit, incognitum hoc fuisse scelus, Historicorum monumenta loquuntur, in quibus de cultu religioso pedibus Pontificis R. exhibito, nihil quicquam licet reperire, siquidem Eusebius (x) rectè Ecclesiam illorum temporum integram ac incorruptam appellavit virginem; Et ipse Carolus Lotbaringius Cardinalis de quindecim à Christo seculis faterur, primum esse verè aureum, reliqua quò longius abessent, eò deteriora ac ne-
quio-

(s) Polydor Vergil de Rer. Inventor. L. 4. c. 13. (t) Vid. Monit. Polit. ad Imperii principes, de immensâ Curia Romana potentiâ moderandâ p. 36. (u) Apostas. Rom. Eccles. pag. 321. (x) L. 3, c. 22.

quiora facta esse, quatenus nimirum *acrescentibus Paparum*
opibus, Pietas decrevit, & in ejus locum Larva Ceremoniarum
succefferunt, quemadmodum originem Papatus describit
Georg. Cassander (y) Nam reverà, à S. Petro, qui secundum
mentem Adversariorum primus Pontifex fuit, ad S. Sylve-
strum tempore Constantini M., de Dominio Paparum nul-
la fuit quæstio, quippe, qui primis trecentis ferè post na-
tum Christum annis, non ad temporale Dominium trahe-
bantur, sed ad Martyrium. Erant tum temporis Pon-
tif. R. Imperatoribus subjecti, ab iis creabantur Pon-
tifices, (z) omnia ad illorum nutum fiebant, de
illis judicare vel quicquam decernere non audebant Pon-
tif. R.; quàm submissi etiam prioribus Seculis erga Impe-
ratores P. R. fuerint, ex Epistolis eorundem ad Imperato-
res datis constat; (a) ut adeò his temporibus ob hæc im-
pedimenta, ad tantæ dignitatis culmen Pontificibus R. aditus
vix ac ne vix quidem patere potuerit.

§. VIII. Equidem Basitores nostri ritum huic, uti jam
dictum est, à Christiani nominis memoria ultima repetunt,
sed consensu antiquitatis destituuntur, & vere conantur, quic-
quid invita veritate conantur. Etenim quod *Baronius* de
Pœnitentibus in primitivâ Ecclesiâ scribit (b): *Sed nec illud*
prætereundem est, quod ait Tertullianus, de recipiendorum Pœnitentium
antiquo ritu: Consuevisse illos prostratos lambere omnium, qui adsta-
rent vestigia, certè & Sacerdotum, certò certius & ipsius Pontificis, ad cuius
pedes quoque accidere, instar Pœnitentium, fideles ceteri semper so-
liti fuerunt, atque eos exosculari, falsum omninò est, & mendacis-
simum

C 3

(y) in Consult. c. 25. (z) Vid. Magnif. Domin. D. MAYERI
Dissertat. de Elect. Pontif. cap. IV. pag. 22. Bodius L. 1. de Rep.
cap. 9. pag. 214. edit. Franconf. (a) Conf. Kempius de osculis
pag. 430. Morneus in Myster. Iniquit. pag. 134. Rivetus in Jo-
Jesuit. vapul. cap. XXVIII. oper. Tom. III. pag. 584. (b) ad
ann. 216. pag. 327.

simum Baronii ingenium arguit, quippe in citato Tertulliani loco de osculis pedibus fidelium fixis, nihil memoriae proditum reperitur, dabimus enim integra Tertulliani: *Is actus, qui magis Græco Vocabulo exprimitur, & frequentatur, Exhomologesis est, quæ delictum Domino nostrum confitemur: non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentiæ nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque Exhomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordia illicem. De ipso quoque habitu atque victu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare. Caterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ. Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exhomologesis, ut pœnitentiâ commendat, ut de periculi Timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro DEI indignatione fungatur, & temporali afflictatione, æterna supplicia non dicam frustetur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat excusat: cum condemnat, absolvit. In quantum non pepercero tibi, in tantum tibi crede Deus parcat. Ineptissimè igitur adgeniculatio illa, quæ caris DEI fiebat, cum osculo pedum confunditur. Quamquam enim Pœnitentes in Veteri Ecclesiâ, dum essent in primo gradu pœnitentiæ suæ, ante Vestibulum prostrati, pedes fidelium apprehendentes, eorum precum implorarent subsidium, atque veniam offensionis supplices rogarent; Non tamen submissio hæc religiosa pedum adoratio erat, sed submissa ad pedes fidelium oratio, ut apud Deum pro ipsis intercederent, atq; culpam offensionis remitterent. Conf. B. Dn. D. ÆGID. STRAUCHIUS Preceptor meus longè meritissimus, cujus erepti nomen honore venerationeque, & memoriam desiderio & Lachrymis me pietas jubet prosequi. (c) Deinde nec illud prætereundum, omni-*

um

(c) in dissertat. de priscis publicè Pœnitentium Ritibus §. 13. & 18.

um Sanctorum pedibus advolvisse se Pœnitentes Veteris Ecclesie, ut adeo, si omnino etiam pedes exosculati fuissent, Romani Pontifices tamen suum inde osculum deducere nequeant, nisi omnibus omnino hominibus illud transcribere velint, quod quidem ab instituto usuque eorum quam maxime abhorret.

§. IX. Eodem nititur fundamentò, quod ex Eusebio (d) & Nicephoro (e) de Philippo, (qui vulgò primus Christianorum Imperator creditur, quamvis illud Hornejo verisimile non videatur) tradunt, quod ille ante pedes Fabiani Pontificis se prostraverit; Nam inde osculum Pedum exsculpere velle absolum omnino est, neque tale quid ex utroque loco deduci potest, id enim tantum habent: *Fama est, istum, cum precationum in die postrema vigilia Paschatis, unà cum multitudine in Ecclesia particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesia praeerat, permissum esse intrare, quam se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumque pœnitentiam agentibus prestitutum occupabant, se suâ sponte collocavisset: Episcopumque dixisse, eum non aliâ conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti Episcopo morem gesisse, & ingenuam modestiam, ac religiosam piamque affectionem, DEI timore incitatam, reipsâ declarasse memorant. Scilicet Imperator, quod Parricida sui antecessoris esset, non prius in Ecclesie gremium recipiebatur, donec publicè pœnitentiam egisset. Quò autem id ad osculum pedum quadrat? hoc enim ad ritus pœnitentiales non perinebat, atque sic assertio hæc lubrico sanè ac in præcedenti paragrapho destructò nititur fundamentò. Addo, quod ritus ille osculandi pedes Pontif. R. ordinarius, ex facto aliquo extraordinario arcessi nequeat.*

§. X. Sed melius quid, nec quod pueri in fabâ se invenisse,

(d) L. 6. Hist. r. 27. (e) L. 5. cap. 25.

nisse, memoriæque de cultu hoc prodidisse *Baronius*, & cum eo *Lorinnus* (f) jactitant; *Sedem Papalem in Seculo Tertio Cajus occupaverat, cujus ætate Susanna Gabinii filia Neptis ejusdem Caji Pontificis, martyrii coronam impetravit. In ejusdem igitur historiâ de Præpedignâ uxore Claudii legitur, illam cum diu ante de fide Christiana festandâ Consilium inivisset, sed destitisset iterum, iram mariti sui pertimescens, auditâ etiam Conjugis mutatione ad Cajum Papam repente se contulisse, & procidentem ad pedes, eosque ex more (ut Acta habent) exosculatam, se ad fidem recipi postulasse. Peracta est fabula: Plaudite! Tota enim illa historia, actis Susannæ Martyris innititur, quæ sane supposita sunt, & nullam, ne apud *Baronium* quidem, fidem merentur; & vel solum Susannæ nomen, quod Gentilibus universim si non incognitum, saltem inusitatum fuit, fabulosam hanc esse relationem indicat.*

§. XI. Neque propius à verò abest, quod idem *Lorinnus* (g) scribit: *Est in Actis Hippolyti, Eusebii & sociorum Martyrum, ad Stephani pedes anno circiter 259, sanctos illos Martyres & alios fideles se abjecisse. Nam ut de Actibus, eorumque Auctoritate jam nihil dicam: fucum vendit Lorinnus, ab adoratione civili, quæ & Regibus competit, ad osculum pedum religiosum soli Pontifici R. debitum concludens.*

§. XII. Atque sic nullum nobis probatum in tribus prioribus, à nato Christo Seculis, Idolatrias Papalis producere potuerunt testimonium Basiatores nostri. Seculo autem IV. & sequentibus de primatu Papæ disputari cœpit, his enim temporibus potentia atque auctoritatis Pontificia majora in dies sumpsit incrementa, imprimis cum Imperium à Constantino Constantinopolim transferretur, hæc enim ratione, imminutâ sensim Imperatorum in Italiâ per continuam absentiam auctoritate, & viribus, Gentium Barbararum invasionibus magis magisque attri-

(f) in *Commensar, ad Cap. X. Act. v. 24.* (g) l. c.

tis, Pontifices R. honores Pontificios ad imperia traduxerunt, & sacra profanis miscentes, potentiam, Religionis specie, incredibiliter auxerunt, V. Job. Bodinus. (h) Hinc Franc. Guicciardinus, Historiæ Italicæ Parens, de Pontificum Romanorum fastu sequentia posteris testatum reliquit: *Ad terrenam Potentiam elati Pontifices, ac sensim animarum salutis divinorumque præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divinâ auctoritate aliâ, quam quasi telo & instrumento rerum fragilium, abutentes, Principes potius gentium, quam rerum sacrarum Pontifices videri cœperunt.* &c. (i) Utut verò his temporibus Superbia Pontificum magis magisque cresceret, cujus duas imprimis causas Baronijs reddit, unam *urbis Romæ magnificentiam*, alteram *opum ac divitiarum incrementum*; (k) Nihil tamen adhuc de cultu pedibus Pontificis exhibitio legimus. Nam quod *Constantinum M. peditem, famuli ad instar, Equum Papa Sylvestri, usque ad Palatium Lateranense, duxisse, Stevanus*, (l) & ex eodem *Sylvester Petra Sancta* (m) scribit, nihil ad probandam Idolatriam Papalem facit. Accedit, quod neque illud ab ullo probato Autore dicatur; nec *Eusebius*, qui vitam Constantini accuratè descripsit, illius fabulæ mentionem facit, quam sine dubio confinxerunt *autores falsæ Donationis Constantini*, ex hoc enim fonte profluxit, quod dicitur de famulatu illius. Fabulosam autem esse illam Donationem jam ante Lutherum insignibus scriptis ostenderunt *Marsilius Patavinus, Laurentius Valla, Antonius Florentinus, Nicolaus Cusanus Cardinalis, Æneas Sylvius*, postea *Pius II. Pontifex*, quos citat, ubi donationem hanc confi-

D

ctam

(h) L. 1. de Republ. c. 9. p. 206 seq. (i) L. IV. Histor. (k) ad ann. 402. n. 45, 47. (l) de adorat. Pedum P. R. (m) in notis ad Epistol. Petri Molinai ad Balsacum cap. 25.

etiam recitat *Lucas Oslander*. (n) Nec hodierni Cordatio-
res Pontificii illi Constantini Donationi autoritatis mul-
tum tribuere audent, uti ostendit *Conringius*. (o) Confer.
Voetius (p) *Cocus* (q) *Hildebrandus*, aliiq;. Everso igi-
tur fundamento, simul & illud, quod eidem superstruitur,
corrui. Quid? quod famulatus ille, alienissimus à mori-
bus illius temporis tam Imperatorum, quam PP. Roma-
norum sit. Vid. *Rivetus*, (s)

§. XIII. Illud autem non diffiteor, Sacerdotes tum
temporis in Ecclesiâ maximo in honore habitos esse, ita,
ut qui Episcopos salutarent, eorum genua manu tangerent,
& oscula manibus figerent. Quo de *Ambrosius*: (t) *Sub-
limitas Episcopalis* inquit, nullis poterit comparationibus
adaequari. Si Regum fulguri compares, & Principum Dia-
demati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri
fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Prin-
cipum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum
dextris, orationibus eorum se credunt communiri. Et *Hiero-
nymus*, (u) se Presbyterum, ita à quibusdam in honore ha-
bitum restatur, ut sibi manus oscularentur. Huc spectat
quoque quod *Lorinus* (x) ex *Svidâ* de *Leontio* Episco-
po *Tripolis* *Lydiæ* refert, eum, cum ab *Eusebiâ*, *Constan-
tini* uxore accerferetur, ita respondisse ipsi: Si me ad Te ve-
nire volueris, debitâ Episcopis reverentiâ conservatâ, ego
quidem ingrediar, Tu autem statim ab isto sublimi solio de-
scendens, reverenter mihi obviam procedas, & caput meis
mani-

(n) *Epitom. Histor. Eccles. Cæsar. IV. L. I. cap. 38.* (o) de
Germanorum Imperio Romano cap. XIII. p. 117. (p) *Part. 2. Se-
lect. Disp. p. 868.* (q) in *Censurâ Scriptor. quorund. Eccles. p. 170. Edit.
Helmstad.* (r) in *peculiari de Donatione Constantin. M. dissertat.
(s) in Jesuitâ Vapulante c. 28.* (t) *L. de Dignitate Sacerdotali
s. 2.* (u) *Epist. 98.* (x) in *Cap. X. Actor. vers. 26.*

manibus supponas, benedictionem acceptura, ac deinde ego
sedeam: Tu verecundè adstes, cum jussero, signo dato sessura:
Si hæc inquam tibi conditiones placuerint, veniam ad Te: Sin
alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, ut
non honore Episcopis conveniente neglecto, divinum Sacer-
dotii institutum violemus. Verumenimverò, utut hæc
honorem maximum Sacro Ministerio tunc exhibitum in-
digitent; non tamen necessariò pedum oscula secum tra-
hunt, aut illa Pontifici M. soli figi debere, aut isto tem-
pore ea jam tum in usu fuisse, evincunt. Quin potius &
hic modestiam Episcoporum Veterum, non ad pedes Au-
ditores suos deprimentium, sed ad manuum oscula admit-
tentium observavit *Fronto Ducaus*. (y) Certe Ambro-
sius non nominat Thronum Romanum, sed in universum
Episcopalem dignitatem; Neque de pedum osculo aliqua
dicit, sed osculum Dextrarum nominat, quod illis figeba-
tur, quorum precibus se muniri credebant. Quid? quod
hic quoque aliquando in excessu peccatum sit, & citatus
Ambrosii locus nimium fastuosus videatur *Lausio*, (z)
qui ait: *Ne tamen quid diffitear; ille Ambrosianus locus
nec modestiam nec Seculum sapit magni Ambrosii; Et illa
inter Episcopum Et Regem comparatio vitio non caret &c.*
Idem de Leontio esto Judicium. Quamquam illud præ-
tereundum non sit, dignitatem hanc Sacerdotalem occa-
sionem præbuisse indies majorem ejus cultum excogi-
tandi, atque Podolatriam promovendi. Progressu enim
temporis humilitas nimia, & adulatio pestifera etiam in
Ecclesiam venenum suum sparsit, & paulatim eo ventum
est, ut quod ritus externos spectet, vix potuerint & possint
honores divini ab humanis discerni.

D 2

§. XIV.

(y) in notis ad *Chrysoft. Homilias*, Edit. Paris. ab A. C. 1614.
P. 104. (z) in *Consultat. orat. contra Italiam* p. 755.

§. XIV. Seculo tamen VI. & VII. nihil adhuc certi de cultu hoc Pontificibus R. exhibito; colligere licet; quamvis enim illi opibus ac ditionibus aucti omni curâ ac diligentia in id incumberent, ut Religionis specie majorem acquirerent potentiam, atque Imperatorum auctoritatem magis magisque imminerent; nondum tamen eos ad pedes usque deprimere audebant; Equidem quod *Baronius* ex Epistolâ Orientalium Episcoporum ad Symmachum P. M. adducit, quâ optant Romam venire, ut *sancta* inquit, *adoremus Tua Vestigia*, (a) nihil sane probat, locutio enim illa hyperbolica est apud græcos non inconsueta. Quod autem ad *Justinum Seniore* attinet, quem idem *Baronius* dicit; *Constantinopoli egressum, ad duodecimum Lapidem obvium fuisse Romano Pontifici, eumque venientem adorasse*; Historia illa valde dubia, imò plane incerta est; *Anastasio* enim Bibliothecario, qui seculo nono vixit, & solus Autor est à *Baronio* citatus, nulla fides; Accedit quod Autor *Historiæ miscellæ* dicat: *Eos, (scilicet Pontificem cum suo Comitatu) à Justino, ut dignum erat, susceptos fuisse, magnisq; eum de suâ, suorumq; salute sollicitos, fletibus postulasse, ut legationis suæ seriem, quamvis esset injusta, libenter exciperet, Italiaq; peritura consulere. Quorum fletibus permotum Justinum, eis quod petebant concessisse, Arrianosq; sui Juris reliquisse.* Quid autem opus fuisset fletibus & precibus, si ea fuisset Pontificis in Imperatores auctoritas, qualem Pontificii jactitant? V. *Rivetus*. (b)

§. XV. Perventum igitur tandem est ad Seculum VIII. in quo primum submissionis hujus, nondum tamen injun-

(a) T. VI. ad ann. 512. (b) in *Jesuitâ Vapul.* c. 28.

injunctæ, sed sponte humilitate nimiâ delatæ, reperimus exemplum, *Justiniani scilicet secundi*. Hic servire voluit tempori, & Papam sibi conciliare, postquam Callinicum Patriarcham Constantinopolitanum, Romam in exilium misisset, oculis privatum. Cum enim Constantinum Papam invitaret Constantinopolim, venienti filios misit obvios, ipseque ei occurrens Nicomediæ, se ad pedes illius osculabundus prostravit, referente ex *Anastasio Baronio* (c) Vid. etiam *Blondus Flavius*, (d) & *Platina*. (e) Quamquam & hæc relatio non adeò firmo nitatur fundamento, Anastasius enim testis è sinu est, adeòque suspectus; Taceo, quod Græci scriptores nihil tale referant de Justiniano. Sed quicquid sit, res adhuc erat libera, nec antea solemniter à quoquam delata Pontificibus Romanis; unde Anastasius Bibliothecarius, quantumvis suspectus, de eâ re loquitur tanquam insvetâ, *omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis*. At si fuisset Reverentia debita, quænam in eo fuisset extraordinaria humilitas? Nobis interea sufficit nihil de hoc facinore integris 7. prioribus seculis auditum esse, hocque primum fuisse exemplum, delatum ab illo Imperatore, quem *eternam opprobrium domus sua*, agnoscunt ipsi, qui hoc ejus factum laudant historici.

§. XVI. Post tempora hæc Justiniani, Reges ac Principes, Pontifici R. se submisisse, cultumque hunc exhibuisse non inficior, nec probationibus opus, cum alii Catalogum eorum prolixius adducant; (f) utut vana multa, falsa aut dubia non minus reperiantur. Tunc enim Pontificia

D 3

digni-

(c) T. II. ad ann. 710. p. 659. (d) Decad. 1. L. 10. pag. 138.
(e) pag. 99. (f) V. Sulpit. Sever. L. 3. Thom. Bozius T. II. de Signis
Eccles. signo 86. Platina in vitis Pontificum, Stephani, Pauli II, III. & c.
& Josephus Stevanus de Adorat. Pedum P. R. Cornelius à Lapide
in Es. 49, 23. Lansii Consult. p. 698.

dignitas ad summū ferè culmen pervenit, ac paulatim caput supra Imperatores efferre cœperunt P.R. postquam ditionibus Longobardis ereptis à Pipino & Carolo M. aucti, rerumque Domini facti, ipsos Imperatores excommunicare, hisque sese vi armisque opponere ausi essent, Principibus quidem contrà pro Jure suo retinendo constanter reluctantibus, non tamen pari semper fortunâ. (g) Unde factum, quod nonnulli Podolatriam à Sergio II. deducant, de quo Vid. Platina (h) & Baron. (i)

§. XVII. Atque sic crescente indies fastu atque Potestate Pontificiâ, tandem ad *αὐμὴν* perductus hic mos est, imprimis *Seculo XI.* sub *Hildebrando*. Hic bipedum superbissimus, ex Monacho Cluniacensi Pontifex Romanus, *Gregorius VII.* Pontificiâ ambitioni ac Tyrannidi supremum fastigium imposuit. Edidit nimirum Romæ in Synodo generali Ao. c. lxxiv. habitâ, *Capitula, seu Canones*, quos *Dictatus* appellavit, quorum major pars, (ut fatetur ipse homo Pontificius,) *antea parum in usu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum unquam attentata, verùm ad firmissimum Ecclesiæ statum jaciendum, & ad omnia tentanda, quæ animo agitabat, idonea.* (k) In his igitur Dictatibus nono loco & illud habetur: *Solius Papa pedes omnes Principes deosculentur.* Atque sic osculum pedum non adiaphorum amplius, aut in beneplacito cujusque positum permansit, sed ut debitum & necessarium ab omnibus officium est exactum. Bene *Rivetus* (l): *Postquam elati superbiâ Romani Pontifices, sese extulerunt adversus quicquid Deus dicitur, aut adoratur, & Romanorum Imperatorum locum occupantes, Imperium sibi deberi voluerant, tunc etiam non solum*

(g) Confor. *Clar. Becmann. de Notit. dignitat. Illustr. Dissert. XIII. c. 1. p. 342.* (h) p. 121. (i) ad ann. 844. (k) Ita *Onuphrius Pavinius* in vitâ *Gregor. VII.* quam secundo Tomo *Defensionis Bellarmini* *Jacobus Gregerus* inseruit. (l) in *Jesuitâ Vapul. cap. 28. n. 11.*

solum Imperatoribus delatos honores exegerunt; Sed, quod ne quidem Imperatorum superbissimi sibi arrogarunt, nisi raro admodum, nec sine gravi omnium censura, isti id sibi vindicarunt tanquam ordinarium, & quod à nemine Magnatum omitti potest sine gravi peccato.

XVIII. Postmodum tenacissimè id semper exegerunt P. R. atque adeò solliciti fuerunt, ne quid in honoribus Podolatriæ suæ ullo fortè modo omitteretur, aut successu temporis imminueretur. Unde in Ceremoniali suo peculiari Edicto sanxerunt: *Omnes mortales, & praesertim Christi fideles, cujuscunqve sint dignitatis & praeminentia, cum primùm in conspectum Pontificis adveniunt, distantibus spatiis, ter debent ante illum genu flectere, & in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vices gerit in terris, ejus pedes osculari.* (m) Ad omnes igitur homines tam ex Sacro, quam Seculari ordine, ad Reges & Imperatores illud extensum volunt, observatò tamen discrimine, ita ut Cardinales atque Imperatores ad osculum manus & oris simul admittantur, reliqui autem osculo pedum tantum contenti esse cogantur. Hinc Christoph. Marcellus: (n) *In osculando Papa quadruplicem differentiam observat, ita ut os solus Imperator osculetur, manum Cardinales, genu Episcopi, pedes osculentur gregarii & vulgares.* Et Durandus: (o) *Papa septem modis accipit osculum; videlicet ad os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genua, & ad pedes.* Putant equidem nonnulli, Cardinales ab obligatione osculandi pedes exemptos esse, atq; illius loco Pontificis manum dextram, sub auriphregio pluviali ore excipere. Verum egregiè falluntur, siquidem Cardinales ritum hunc trinà deosculatione ipso statim Pontificatus

(m) Ceremonial. Sacr. L. 1. Sect. 3. c. 3. (n) Rituum Ecclesiast. Eccles. Roman. L. 1. Sect. 4. fol. 138, edit. Venet. ao. 1516. (o) L. 4. Rational. cap. 53. pag. 202.

ficatus initio inchoant, quæ de re juvat audire testem oculatum Laur. Banck (p): Quibus peractis, inquit, suum Pontificem super ejusdem Sacelli Altare collocarunt, cui postea omnes Cardinales justo suo ordine summam reverentiam, & extreme humilitatis Officia bis profundè sese inclinantes, & tertio genua flectentes exhibuerunt, & ad pedes ejus devoluti, eosdem quasi sanctissimo ritu deosculati sunt, eundem postea honorem etiam manibus obtulerunt. Novus verò Pontifex illos mox osculo Pacis in signum boni affectus & benevolentia excepit. Prælati verò, Canonici, aliique qui aderant Nobiliores, ad oscula Pedum & manuum tantum admisi erant, non autem ad pacis osculum. Quod discrimen etiam alibi sæpius notavit. Huc spectant Ritualis Romani verba (q): Induitur electus Papa papali habitu, toga scilicet linteâ alba, caligis rubeis, & Sandaliis rubeis aureâ cruce signatis: Et tunc per pedum oscula adoratur. Exempla alia eorum, qui ex Sacro ordine Pedes Pontificis osculati sunt, recenset Clar. Becmannus (r) & Kempius. (s).

§. XIX. Secularem verò ordinem quod attinet, Ceremoniale Romanum non dubitavit in Processu Coronationis Imperatorum hunc modum præscribere: (t) Electus Imperator cum suis omnibus Equo descendit, & per gradus ascendit suggestum; Et ut primum Pontificem videt, detecto capite, illum, genu terram tangens, veneratur; Et iterum cum appropinquat ad gradus Sedis, genu flectit: Demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in Reverentiâ Salvatoris devotè osculatur. Pontifex hilari vultu Cesarem aspiciens, ad osculum manus & oris respicit. Tum Caesar iterum genu flexus auri massam ad pedes Pontificis offert &c. Stante ibi ad dextram Pontificis Cesare, Pontifex recipit Imperatricem ad osculum Pedis & manus; Regem verò, si quis adest, ad osculum pedis, manus & oris, alios autem Prælatos Proceres & Nobiles Cesaris, ad osculum Pedis tantum. Et ne honores

(p) Rom. Triumph. c. X. p. 167. (q) L. 1. Sect. 5. pag. 51.
 (r) de nobilit. Dignitat. Illustr. Dissert. VI. cap. 2. p. 166. (s) de osculis p. 393, 394. (t) apud Goldast. Tom. 1. Constit. Imper. f. 414.

hi Pontificii aliquid detrimenti propter absentiam Papæ in Coronatione Imperatoris accipiant, aut ex tali omissione deinceps Imperatores, præsentem Papam, se minus quam antea ad submissiones omnes assuetas obligatos putarent, diligentissimè caverunt Pontificis Legati. Unde cum Carolus IV. à Legato Pontificis Avenione coronatus fuisset; Voluit Pontifex, quod Cardinales prædicti (ad id scilicet delegati) publicè protestarentur Domino Imperatori, quod propter omissionem reverentiarum, obsequiorum, & multarum Ceremoniarum, quæ pertinent ad Personam R. P., non esset aliquo modo derogatum privilegiis & honorificentis Romanae sedis, & suorum successorum. Et de hac protestatione & consensu Imperatoris exigerent quadruplices literas, Regalibus & Imperialibus sigillis munitas, sicuti factum est. Referente Marcello Corcyr. (s) Illud autem mirum videtur, tam obsequiosos Pontificem Roman. nactum esse Imperatores atque Principes, siquidem prolixum Eorum, qui pedes Pontificis basiati sunt recensere Catalogum possem, nisi Cura & Negotium Clar. Becmanni (t), atque Kempii (u) hic mihi otium facerent, ad quos proinde B. L. remitto.

§. XX. Illud tamen addendum, Imperatores etiam absentes per literas, jam à Ludovici Bavari temporibus, osculum Pedum R. Pontifici offerre solitos fuisse, teste Job. Bodino, (x) qui dum tabulas Caroli IV. ad Innocentium V. datas recitat, inquit: *Tabularum Principium est hujusmodi: Post Pedum oscula Beatorum: Quæ verba in omnibus Imperatorum ad R. P. literis, jam inde à Ludovico Bavaro, ad hæc usque tempora repetita videmus.* Et paulò post, hujusmodi Imperatoris ad Pontificem R. subscriptionem adducit: *Ego manus ac Pedes ve-*

E stre

(s) *Sacr. Ceremon. L. 1. f. 65. edit. Colon.* (t) *l. c. p. 166.*
(u) *p. 395. l. c.* (x) *L. 1. de Rep. c. 9. p. 215. 216.*

Stræ Sanctitatis deosculor. Similis fere formula habetur in inscriptione Epistole Reginaldi Austriae Regis circa Ann. S. 1219. *Beatissimo Patri ac Domino, Honorio, Dei gratiâ Summo Pontifici, Reginaldus Rex commendationem, cum osculo pedum.*

§. XXI. A Magistratu ad Subditos est perventum, quibus sane pro singulari reputatur beneficio, si ad pedes Pontificis procumbere concessum fuerit. Hos itaque, ne in negotio tam Sacro quid peccetur, Autor Libri Ceremoniarum l. c. plenius informat, *quod nempe ter antequam accedant, genua flectere debeant, & quæ hujus generis sunt alia.* Accesit tandem brutalis certe mos, ut in mortui etiam Pontificis pedum osculo, religio collocaretur. De Sixto namque V. Itali annotant Scriptores; *cadaver ejus in Sacello Gregoriano ita repositum fuisse, ut pedes extra Cancellis ferreos prominere, quibus à populo, qui spectatum accurrebant, osculum figi melius posset.* Simile quid cū Urbano VIII. gestum esse, refert sæpius citatus Laurentius Banck: (y) *Deducebatur postera die funus in Basilicam S. Petri, ibique in medio Basilica pavimento non procul ab altari majori positum, ac per quadriduum relictum erat, ut unicuique toto illo temporis intervallo illud invisere ac pedes & manus expositi cadaveris tanquam sanctissimo cultu deosculari integrum esset.* Quibus etiam diebus tantus hominum confluxus in templo vaticano conspiciebatur, ut unus alterum ab illo, pedibus osculo insigendi officio impediret & revocaret, quilibet enim peccatorum suorum remissionem, vel saltem aliquam indulgentiam inde expectabat.

§. XXII. Eò usque autem progressus est fastus atque insolentia summa Pontificum R., ut & illi qui pedes P.
R.

(y) *Roma Triumph. p. 9.*

R. osculati sunt, honorē hunc deinde ab aliis si *Anton. Diana* fides habenda, admiserint. Ita enim ille (2): *Ideoq; nusquam legimus eo honore affectos Imperatores, quo affectum legimus supremū spirituales Principem, ut reverentium ab ejus conspectu & dignatorum beatā ejus presentia, pedibus figantur oscula, & vestium partes rapiantur, & pro reliquiis adserventur, quod facere atbiopes suis Romā reverentibus scribit ad Eugenium Papam ao. 441. Nicodemus Abbas Vicarius Patriarche Æthiopicæ apud Jacobum Navarchum, ex quo Sanderus L. 6. Monarch. n. 11, 12. Atque sic ad nauseam usque crescentem magis magisque Pontificum Romanorum superbiam, atq; progressum Podololatrias Papalis contemplati sumus.*

CAPIT II.

Theologicum

Judicium Morale continens.

§. I.

Restat jam ut Judiciū morale, quid de ritu hoc sentiendū sit, adjiciamus. Ante omnia verò ne Andabattarū more pugnare videar, pauca quædam, ad quæstionis statum pertinentia in medium asferre operæ pretium duxi. Scilicet R. Pontifex non ut Princeps Politicus, sed ut *summum Ecclesie Caput atque supremus Monarcha* ob omnibus omnino hominibus, Regibus etiam ac Imperatoribus osculum Pedum, tanquam *cultum verè divinum ac religiosum, soli Papa debitū* certis deniq; ceremoniis, *trinā genuflexione &c.* definitum, non tantum admittit, sed omnino *sub conscientia*

E 2

pretio

(2) P. XI. Op. *Tract. de adorat. Summi Pontif. Resolvet.*
XV. fol. 593.

pretio, & aeterna damnationis periculo exigit (a). Quibus prænotatis, facile iudicatu est, omnia ferè, quæ Adversarii ad cultum hunc in Pontifice suo statuminandum adducunt, extra oleas vagare, nec quicquam eorum, quæ in quæstionem veniunt, sive *osculum pedum*, sive *temus*, post triplicem genuflexionem, sive *debitum* & *exactionem* sive *Personas Regum & Principum*, sive *exclusionem omnium ab hoc honore*, præter *Papam*, firmiter probare; Plerumque enim, ex *reverentia* aliquâ civili, sive *pluribus* sive *humilitate*, sive etiam *adulatione* nimiam delatâ, ad osculum religiosum soli Papæ proprium argumentari consueverunt.

§. II. Sed age! videamus Argumenta, quibus causam suam perorare solent Basiatores Pontificis. Operosi in eo præprimis fuerunt, *Josephus Stevanus*, *Antonius Mazaronius*, & *Anton. Saffay* (b) itemque *Thomas Bozius* (c) *Tannerus*, (d) *Durandus* (e) *Lorinus* (f) *Cornelius a Lapide* (g) *Casalius* (h) *Antoninus Diana* (i) *Sylvester Petra Sancta* (k). & qui non?

§. III. Argumenta eorum partim ex Scripturâ S., partim etiam ex antiquitate atque Historiâ Ecclesiasticâ petita sunt. Initium ab iis faciam, quæ ex Sacro Codice depromunt Basiatores nostri,

quo-
 (a) Vide *Dissertat. nostræ* Cap. 1. §. 17. 18. seq. (b) peculiaribus de osculo Pedum. P. R. commentariis, (c) de Notis Ecclesie L. XX c. V. (d) patr. 3. Theolog. Scholast. disp. 5. qv. 2. dub. 2. (e) de L. 4. Ration. c. 53. (f) in *Commentar. ad cap. X. Actor. vers. 24. p. 493.* (g) in *Esaiâ* cap. XLIX, 23. (h) de *Veter. Christian. Sacris Ritibus*. part. 3. c. 8. p. 409. (i) P. XI. op. *Tract. de Adroat. summi Pontificis Resolut. XV.* (k) Cap. 23. *Not. in Epistol. Molinæ ad Balsacum.*

quorum præcipuum ferè est, quod ex *Esaiâ* nobis objiciunt, quando Propheta dicit: *Et erunt Reges nutritii tui, & fœmina, principes eorum, nutrices tuæ, vultu in terram demisso incurvabunt se, habentes honorem Tibi, pulveremq; pedum tuorum lingent.* (l) Et iterum: *Et adibunt te demissè filii affligentium te, & incurvabunt se ad plantas pedum tuorum, quicumque spernebant te* (m). Vos verò *Sacerdotes Jehovæ vocabimini, ministri Dei nostri dicemini; opibus gentium fruemini, & gloriâ earum summè efferetis vos.* (n) Quæ duo ultima loca *Stevanus* ad Ecclesiam Christianam ita refert, ut ea impleta velit in solo P.R., cujus pedes exosculantur Reges, utpote quorum gloria ad eos translata. *Si enim* inquit, *Regii Sacerdotes gentium opes & gloriam debent comedere, id est, transmittere in Ecclesiam, & in montem Ecclesiasticum transferre, asserendum profectò est, illa insignia dignitatis, quibus reges gentium autoritatem tuebantur, vel omninò cecidisse, vel cum maximis Sacerdotibus commutata.* (o) Similiter *Cornelius à Lapide*: *annón amplius est lingere pulverem pedum, quam pedes exosculari? hic honor ergò Pontifici debetur, tanquam hierarchæ.* (p) Et alibi (q): *Predicit Propbeta gloriam Ecclesie, quam habitura erat sub Constantino & deinceps. Nam ante eum, in perpetuâ fuit persecutio, unde mirum non est, hunc honorem non habuisse, nec admisisse S. Petrum, Paulum aliosque Apostolos. Verum enim verò inconvenienter hæc omninò allegantur, siquidè verba hæc non secundum literam explicanda & de externo splendore intelligenda veniunt, nisi Regnum aliquod Mesiaæ temporale cum Judæis, satis absurdè fingere velint. Quid? quod hæc ratione, non de Pontif. R.,*

E 3

sed

(l) *Es.* 49, 23. (m) *Es.* 50, 14. (n) *Es.* 61, 6. (o) *de osculo ped. P. R.* c. 2. (p) *ad 2. Ithess.* 2, p. 677. (q) *ad Es.* 49, 23.

sed de Sion & Jerusalem intelligenda essent, in quibus etiam aliquo modo impleta esse, fatentur nonnulli Pontificiorum interpretes; Sed omnia hæc, quæ verbis humanis de Ecclesiæ gloriâ prædicat Propheta, figuratè & mysticè accipienda sunt, ut vel solæ locutiones illæ: *adorare vestigia pedum, terram lingere, fortitudinem gentium comedere*, satis superquè indicant. Hoc ipsum quoque agnovit Sanctius (r) inquiring: *hæc metaphoricè & ut reor proverbiali figurâ dici videntur ex Persarum more, apud quos severè cautum, ut qui cum Regibus locuturi essent, prius exoscularentur pavementum, regio calcatum vestigio.* De Ecclesiâ N. T. igitur, partisquæ ei per Christum victoriis spiritualibus Propheta loquitur, ut hic sensus sit: *Christus qui dominatur in medio Inimicorum suorum, ponet inimicos sub scabellum pedum suorum, franges die ira sua reges, ut sponte suâ ad adorandum veniant, & vultu in terram demisso adorent te, & pulverem pedum tuorum lingant*, hoc est, sese submittant, & honorem tibi, reverentiamquæ exhibeant, propter Christum caput tuum, qui in te habitat, & inimicos tuos supplantavit, ad hunc enim referuntur adoratio, & honores divini promissi. Conf. Ps. 2. 12. Ps. 72, 9. Ps. 110. Mich. 7, 17. Quemadmodum etiam hunc locum Glossa ordinaria explicat; *Lingent pulverem pedum tuorum, ò primitiva Ecclesiâ, in Personâ capitis tui Jesu Christi.* Et Basilii (s) recte inquit: *ὅτι γὰρ ἐκκλησία προσκυνεῖται, ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας, ἢ κεφαλῆ ὁ χριστός.* Confer egregiè hunc locum explicantes Clar. Fesselium (t) & Rivetum (u) Male ergo quæ Christo hic tribuuntur, de Pontifice Romano explicant Adversarii.

§. IV.

(r) ad Es. 49, p. 505. (s) in Psalm. 44. (t) L. 3. Advers. Sacr. c. 7. S. 4. p. 278. (u) in Jesuitâ Papulante. c. 28. oper. T. 3. p. 579.

§. IV. Excipiunt tamen Basiatores illi, Papam esse Vicarium Christi, atque sic participare illum de honore Christo debito: Ita enim *Tannerus* (x): *Eodem cultu, quo Christus ut homo colitur, R. Pontificem adorandum, quatenus per simplicem mentis apprehensionem agnoscitur quodammodo in illo Christus, cujus Personam & munus sustinet, nec minus ex eodem habitu, quo Christus ut homo colitur, quatenus consideratur juxta propriam dignitatem Vicarii à Christi dignitate, quam ut homo, & supremus Ecclesie Moderator habet, derivatam, honore quodam inferiori.* Sed primò supponunt Adversarii id, quod est in quæstione, scilicet Papam esse Vicarium Christi, dudum enim illud explosum est. (y) Deinde si omninò etiam Vicarius Christi in his terris esset, non deberentur tamen eidem honores Christo debiti, Adoratio enim dignitas quædam incommunicabilis est, soli Deo propria, Christo autem secundum humanam naturam propter unionem personalem & communicationem Idiomaticum competit. (z) Jam, quæ Rex sibi propria servat, ea non sine crimine læsæ Majestatis in vicariis derivantur. Num enim vice Rex Regis Catholici, Regem se Catholicum appellare audebit? Eadem sane consequentiâ omnes illi honores, qui Pontifici deferuntur ut Vicario Christi, essent deferendi omnibus nunciis apostolicis & nunciorum

nun-
 (x) *Part. 2. Theol. Scholast. disp. 5. q. 2. dub. 2. n. 61.* (y) *V. Mares. contra Tirin. T. 1. p. 200. seq. Thesaur. Theol. Sed anens. part. 1. p. 898. Salmuriens. Syntagma part. 3. p. 552. B. D. Andr. Kunad. in Dissertat. de Capite Ecclesie Christiana genuino pariter ac suppositio, Magnif. Domin. D. Qwenstedt in System. part. 4. p. 509.* (z) *Confer. Gerbard. Exeg. de Christo p. 1188. & 1421. seq. Dorschei Detect. male fidei Papal. p. 555. & Theol. Zachar. part. 2. p. 167. B. D. Rappolt in Dissertat. de adorat. Carnis Christi. B. Domin. D. Strachius in s. de Cultu Christi hominis dissertationibus.*

nunciis in infinitum. Recte Navarrus (a): *Etiamsi vicarius honorandus sit, tanquam vicem tenens & locum Principalis Domini, tamen non eodem honore, quod ex ipso pedum osculo probat: Osculamur, inquit, pedes Papæ honoris gratiâ, non tamen facimus id ejus gratiâ etiam à latere, minus ejus delegato.* Quod si igitur ne homines quidem honoribus suis quicquam derogatum aut de iis Legatis suis tributum volunt, multo sane minus honores soli DEO competentes, cum nudo homine dividendi erunt. Ex quo porro patet, consequentiam Tanneri impiam, blasphemam, absurdam esse: *Eodem cultu quo Christus ut homo colitur, R. Pontificem adorandum.* Quæ enim, pro Dei atque hominum fidem! impietas, humanam Christi naturam, in ὁμοειδέει ἰσὺ λόγῳ subsistentem, inque Collegium S.S. Trinitatis relatam (b), cum homine peccatore, ac filio perditionis Pontifice R. conferre.

§. V. Scioppius in Collyrio cum Cornelio à Lapide, osculū Pedum probare conantur ex eō Spiritūs S. ad Angelū Philadelphiensis Ecclesiæ. *Ecce dabo de Synagogâ Satana, qui se dicunt Judæos esse & non sunt, sed mentiuntur; ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos.* (c) At primò locus ille citatus scopum non attingit, non enim de osculo adorativo pedum, soli Papæ debito loquitur, ita enim Cornelius à Lapide ad h. l.: *significatur hic summa fidelium devotio, reverentia & submissio erga Ecclesiam ejusque Prælatos.* Si aut reverentia hæc restringitur ad

(a) apud Rivetum in *Jesuitâ Vapulante* l. c. (b) Vid. de eo Himmel. in *Syntagm. th.* 55. p. 185. Eckard. *fascic. Controv.* p. 75. Dorschaus in *Interv. pro Myster. S. S. Trinitat.* c. 23. p. 330. & in *Anti Corn.* p. 233. Item in *Pentadec. disp.* 5. p. 207. B-D. Carpozovius *Specim. Theol. Chemnit.* de Deo & Christo p. 193. Meisneri *Schola acad.* p. 54. (c) *Apoc.* 3. v. 9.

ad Episcopum & Prælatos, nihil habet Pontifex, quod sibi præ aliis Episcopis posset vendicare, sed erit reverentia aliqua communis, cujus generis osculum pedum Pontificis non est: Deinde aliud est, *ante pedes alicujus adorare*; aliud *pedes osculari* vel adorare. Prior phrasis in citato loco reperitur, metaphorâ ductâ ab hostibus in bello devictis, & in captivitate adductis, qui ab pedes victorum procumbunt, ut sensus sit: *Judaos conversos ad Ecclesiam, quam antea oppugnabant, venturos, & eum verâ animi submissione, Christo in eâ nomen daturus, & in cœtu illius Ecclesie Deum adoraturos esse, quemadmodum rectè hunc locum explicavit Rivetus.* (d) Conf. de hoc dicto prætererea *Magnificus Dominus Præses.* (e)

§. V. Ad exempla è Sacris literis ab Adversariis petita, quod attinet, illa nihil probant, nec de osculo Pedum aliquid continent. Quod enim *primitivi fideles, bona sua ad pedes Apostolorum deposuerint*, (f) quid quæso ad osculum pedum facit? an enim verisimile, apostolos in thronis sedentes ab offerentibus adgeniculationes & pedum oscula admisisse? de eo sane nihil quicquam in toto sacro Codice reperitur, imò id praxi & modestiæ Apostolorum è diametro contrariatur. Adde quod hæc ratiō à dignitate ministerio communi, ad primatum unius solius hominis ineptè concludatur, & honor ille non soli Pontifici, sed omnibus omninò Ecclesiæ Ministris deferendus esset, siquidem Apostolus Paulus de se & collegis suis ait: *nomine Christi legatione fungimur.* (g) Ergone omnes collegæ Pauli adorandi? nunquam hoc admittent Pontificii. *Rectius hunc locum explicavit Casparus Sanctius* (h) inquit: *abjectis eâ ratiōe bonis signifi-*

(d) T. 3. op. p. 580. (e) in Concione funebri habitâ ex h. l. in obitum B. Domini D. Calovii (f) actor 4, 35. cap. 5, 2. (g) 2 Cor. 5, 20. (h) ad h. l. pag. 116.

gnificasse fideles quam parvi hac facerent, quæ digna sunt, non sane quæ tangantur manu, sed quæ calcantur pedibus. Præterea phrasis illa ad pedes Apostolorum ponere non significat hominum, sed rerum in potestatem traditionem, ut de iis disponerent pro arbitrio, quemadmodum apud Græcos quæ sunt presentia & exposita nobis dicuntur *πρὸ πᾶδων* vel *ἐν ποσὶ*. Et apud Hebræos quæ in nostrâ potestate sunt ut *Deu. XI, 6.* terra absorpsit Dathan & Abiron & substantiâ omnem quæ *בְּרַגְלֵיהֶם* in pedibus vel ad pedes eorum. Conf. *Ludov. de Dieu, Joh. Pricæus*, aliique in h. l. Commentatores.

§. VI. Sed ecce novam Logicæ Pontificiæ subtilitatem: Plus est, ajunt lavare pedes, quam eos osculari: at Petrus permisit ut Christus lavaret pedes suos ergo permisit Christo plus quam osculum pedum suorum; Christus autem Regibus major fuit. Vis igitur argumenti Pontificiorum hæc est, quia Petrus permisit, ut Christus lavaret pedes suos, Ergo potest Papa mandare ut Reges & Imperatores, osculentur crepidas suas. Audiamus eâ de re *Thomam Bozium*: Quid dicam, inquit, faciunt impii isti (nempe qui nolunt osculari pedes Papæ) se Christo majores, qui ad pedes Apostolorum se abjecit, absterxit illos, & verisimiliter illos exosculatus est. In hoc exemplum dans nobis, ut quod ipse fecit, & nos faciamus. Ampliusque assero, peccaret Pontifex, si honores istos non admitteret: teste ipso Christo, qui Petro dixit, non habiturum eum partem secum, nisi à Christo acciperet hunc honorem, ut ad pedes ejus se abjiceret. (i) Helleborum huic ingenio! Falsissimum primò enim est, plus esse lavare pedes, quam osculari Lotio enim pedum, quæ frequentissima apud orientales erat, quod pedes peregrinantium adversus fordes & lutum non adeò muniti essent, ad hospitalitatem pertinebat & adorationem pedum nedum inferebat. Deinde falsum & illud Christum simul pedes

(i) *Thomas Boz. us T. I. L. II. de Signis Eccles. c. 10. p. 462.*

fieri cupit. Adeoque vel proprio exemplo maximam esse inter lavare & inter adorare pedes differentiam probat. Quis ergo Bozii insaniam non detestetur: peccaret Pontifex, si honores istos non admitteret; qui Petro dixit; Non habiturum cum partem cum Christo, nisi à Christo acciperet hunc honorem, ut ad pedes se abjiceret. Quæ enim consequentia? si Petrus monitus restitisset Christo, non habuisset cum illo partem; E. si Papa ad oscula pedum non adigeret Principes, partem cum Christo non haberet. Ut taceam, Maldonatium hunc locum ita explicare; quod Christus in Petro omne hominum genus allocutus sit, & docuerit, neminem nisi à se lavetur, partem secum habere posse. Quis enim nisi Christi lotus & purgatus Sanguine salvus esse potest? Ergo ne jam R. P. peccat non admittendo oscula pedum, quia sine Sanguine Christi nemo purgatur à peccato. O diram Logicæ Papisticæ consequentiam! Conf. omnino Riveus. (o).

§. VIII. Denique Exempla Orientalium e. g. *Præfecti Regis Abasja*, qui prociens in genua coram Elia deprecatur eum (p) & *Nebucadnezaris*, qui procidebat in faciem suam, ut *Danielem* adoraret (q) quæ exempla urget *Lorinus* (r); iterum scopum non attingunt, nec probant, id, quod est in quæstione, hic enim demississimæ reverentiæ & inclinationis mos apud Orientales pervulgatus erat, neque Sacerdotibus tantum, sed etiam Regibus honor ille deferabatur. Adde quod ritus ille ut quis ad alterius pedes se prosterneret, non simplicis & ordinariæ reverentiæ, sed submissionis extraordinariæ fuerit actus, quo Personam non cultu aliquo religioso afficiebatur, sed humiliter misericordia illius ante pedes im-

(o) l. c. oper. Tom. 3. p. 580. (p) 2 Reg. 1. 13. (q) Dan. 27. 46. (r) in Commentar. ad cap. X. actor. vers. 24.

implorabatur, quemadmodum rei, qui veniam à principe postulabant, supplices genua illius tangunt, *ut quam facile flectit ille sua, tam suum facile inflectat animum* ut loquitur Lorinus. Accedit quod de osculo pedibus fixo nihil quicquam dicatur. Unde etiam nihil ad probandum osculum Pedum Papæ Romani faciunt, utpote, qui osculum Pedum tanquam cultum religiosum trinâ geniculatione definitum sibi soli debitum eundemque ordinarium, non tantum à reis, sed omnibus omninò hominibus, qui in ejus conspectum veniunt, exigit.

§. IX. Huc spectat, quod *Josephus Stevanus* ex Pitæi adversariis mutuatur: *vetustissimam adorationis, tam manuum quam pedum consuetudinem, apud omnes gentes viguisse.* Ad quod optimè respondit *Ruetus*: *Aut adoratio illa fuit divina; & nisi illa removeatur, oportebit Papam adorare, eadem adoratione, quam vero Deo exhibuerunt pii, aut suis Idolis; Idololatæ; quod nescio an Papista agnitiui sint, se deferre Papa, quamvis verum sit. Aut illud de adoratione vel reverentiâ, erit intelligendum, qualis homini deferitur, & deferri potest: tum ex omnibus illis reverentiâ modis, quibus homines erga alias homines usi sunt, nullo exemplo probabit; uni soli unquam homini externe reverentiâ speciem propriam, fuisse ita assignatam, ut nulli alii competeret, & exhiberi possit. Adde, Consuetudinem & exempla præprimis gentium, non facere firmam morum Regulam.*

§. X. Similiter Exempla ex Historicis & Scriptoribus Ecclesiasticis, ab Adversariis producta, nihil omninò probant, quæ in Controversiam veniunt in hoc Papæ facto uti ex superius Cap. I. dictis prolixius constitit. *Non enim probant protensam fuisse crepidam, vel ab Episcopo, vel à sancto ullo in throno sedente; non probant Reges ad id fuisse adactos; Non probant id uni fuisse delatum exclusis aliis; non probant triplicem adgeniculationem ante osculum, imò nec probant, eos qui prostrati in terram venerabantur, oscula fixisse calceis, &*

eis os admovisse, uti recte iterum monet Rivetus. Quid ? quod pleraque Exempla crimen falsi contineant. Et si omnino seqvioribus temporibus semel iterumque tale quid contigisset, *Juris id Romani novi fuerit, ait, Franc, Junias.* (s) *Quo Romanus Pontifex decrevit rem semel sibi factam semper esse debitam, ex quo semel facta. Hac verò lex non regia est, sed tyrannica: qua si in Pontifice vera est, videant Magistratus omnes, ne quã in re gratificentur Pontifici.*

§. XI. Cùm itaque nihil Præsidi, sive in Scripturâ S. sive etiam in allatis exemplis inveniant Basiatores illi alio modo procedunt, & osculum Pedum Romano Pontifici deberi, nescio ob quam nam insitam Sanctitatem somniant ita enim expressè *Casalius*: (t) *Tertia ratio Sanctitas ejusdem Papa est: & sic porrigitur osculum pedibus ejus, sicuti osculamur Sacras imagines, & Crucem quam etiam ipse Papa, super sandalia habet impressam, ut dixi. Quem in finem dictum aliquod Chrysostomi communiter allegant: Accede, sanctos tange pedes, multò namque honestius est, hos pedes tangere, quam aliorum Caput: Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam Regiam tantum habent figuram. Tu ipsum in se habentem Christum non pedibus tenebis & salvus eris? Sancti sunt pedes, licet viles sint: Inquinatorum verò neque caput venerandum est: Sanctorum namque pedes magna potuerunt, quamobrem & ulciscuntur, cùm pedibus pulverem excusserint.* (u) Eo usque autem progressa horum hominum dementia, ut Adulatorum ille pessimus *Job. Baptista Catusyrta*, in Elogio Cardinalis Pamphili seu Innocentii X. non veritus sit scribere (x) *Evangelus ego, felixque nuncius*

(s) *animadv. in Bellarm. de transl. p. 7.* (t) *l. c. p. 410.* (u) *homil. 59. ad populum Antiochenum* (x) *apud Laurent. Banck in Romã Triumph. pag. 233.*

nuncius ter sanctos pedes Eminentia vestra, ex nunc
deosculor. O blasphemum Caput! Itane homo in peccatis
conceptus & natus, ter sanctus esse perhibetur? Itane san-
ctum reputatur, quod sordido praestatur officio? Locus ille
Chrysostomi nihil sane de insita quâdam pedibus fidelium
sanctitate habet, aut ob hanc adorandos illos esse asserit; sed
tantummodò, ad morem illum Veteris Ecclesiae respicit,
quò fideles multum sane deferre solebant eorum sancti-
tati, qui in Ecclesiasticis muneribus eminebant, aut ob no-
men Jesu quasvis persecutiones patiebantur, eorum vel
manus deosculati, vel ad pedes usque se demittentes, ut
hoc honore adversus opprobria, quæ sustinebant animum
illis adderent. Quod etiam ab ipsis Magnatibus non-
nullis, non solum Episcopis, sed etiam aliis sanctitatis no-
mine celebribus delegatum legimus. Nihil autem hæc
ad osculum Pedum Pontif. R. faciunt, Confer. quæ supe-
rius de Dignitate Sacerdotali Veteris Ecclesiae diximus. (y)

§. XII. Quibus verò nec hæc pedum Papalium mi-
randa prorsus Sanctitas necessitatem eos deosculandi im-
ponere videtur, eos ad insigne Crucis in Sandaliis Idoli
sui conspicuum, Papicolæ remittunt. Nam olim forsitan
à Principe quodam denegatus pedum osculandorum ho-
nor, sandalia Papæ cruce ornanda persuasit, ut lenirent
rehtë sentientium in Papam odium, quæ non vana est *Göt-
terii* conjectura (z) Utut autem eodem ab omnibus mo-
do Crux illa non formeretur, in Calceo tamen qui rubicun-
di coloris est semper apparet, V. pluribus eum describen-
tium *Benedictum Baldwinum*. (a) Inter cætera autem in-
quit: *Ex addito sandaliis aureæ crucis ornamento, humili-
tas Papæ, atque demisso commendarii maxime debet. Cum enim
illi primum agnoscerent universos passim Christianos Pietatis & ho-*
noris

(y) cap. I. §. 13. (z) *observ. cap. 9. p. 52.* (a) *de Calceo*

noris ergò, ad summum pedum oscula proruerent, ut à se honorem illum, ad Christi Domini gloriam transferrent. Crucem, quæ perspicua est illius gloria monumentum, calceis suis attexi curaverunt, sic enim factum, ut Christiani homines eum honorem, quem Pontifici, per pedum eius oscula lubentes ibant delatum, Cruce ipsius in Calceis perspectâ, in Christum præsertim referrent, atque aded ipsum ore contingere labiisque impressis spaviari viderentur. Eadem sane ratione Idolatriam excusant, cultumque hunc non tam Pontifici ipsi, quam Cruci Dominicæ deberi asserunt *Baptista Casalius* (b) atque *Thomas Bozius*. (c) Verum enim verò iterum falsum supponunt Adversarii, religioso scilicet crucem cultu adorandam esse, id quod dudum ab illis refutatum qui vel in genere omnem Reliquiarum cultum rejecerunt, (d) vel in specie etiam contra Stauro- latriam disputarunt. (e) Deinde illud quoque nec perfun- ctoriè considerandum; annon dignior locus Cruci do- minicæ assignandus sit, cui *ἀλγεῖαν* competere Papicolæ asserunt, & num signum Redemptionis nostræ ad pedes de-

(b) l. c. cap. 81. pag. (c) L. XI. de signis Ecclesie pag. 911.
 (d) Chemnit. Exam. Concii. Trident. de Reliqu. Sanctior. Gerb. T. VIII. Loc. de morte S. 95. seq. & in Confess. Cathol. L. 2. p. 2. c. 3. art. 10 p. 662. seq. Heilbrunner im Uncatholischen Babsthum apolog. art. 13. cap. 6. p. 689. Dörschens in Tunicâ Christi inconsutili. Item in specim. Sceletora. Pontif. circa reliquias SS. Marci & Luca Dannb. Hodom. Papal. T. 1. p. 1172. Colleg. Decal. Disp 2. ad Præcept. 1. part. 2. S. 18. Item in Christeide s. Dramate Sacro p. 457. 458. & p. 793. seq. Botfacc. Moral. Gedan. p. 909. seq. It. in der hintertretung der Bapstlichen lehre p. 373. seq. Calvinus de Reliquiis, Hospinian. de Festis cap. VII. p. 1. p. 106. seq. Polan. in Syntag. Theol. L. 9. c. 21. Chamier Panstrat. Cathol. T. 2. Oper. p. 844. 845. seq. Molin. Thesaur. Sedanens. Vol. 1. p. 394. seq. Mares. T. 2. Theol. Elench. Crntrov. XXX. p. 1036. seq. Polenburg. in Epistolis Arminian. p. 140. addatur Voetius T. 3. disp. Select. p. 1002. (e) Conf. Voetius T. 3. Disp. Select. p. 884. Salmur. Syntagm. part. 3. p. 815. Thesaur. Theol. Sedan. p. 91.

deprimi possit? Hocnè est sacram Crueem, eumque qui in illâ pependit, debito honore porsequi? calcare eam est non venerari. In pectore summum Instrumenti Veteris Sacerdotem, non in pedibus sanctitatem Domini gestasse, sacrarum literarum oracula testantur; hunc imitari, atque non in calceis sanctissimi ejus meriti Symbolum gestare sed pectori piis meditationibus imprimere deberet Pontifex R. Conferatur *Laurentius Banck.* (f)

§. XIII. Explosis itaque Adversariorum telis, nihil aliud superest, quam ut invictis è contrario argumentis probem, R. Pontificem nullâ plane ratione osculum pedum admittere, nedum exigere posse; Quod confectum dabo primò generali ratione à naturâ cultûs divini desumptâ, quando scilicet *Adoratio ad scabellum pedum*, atque *osculum religiosum*, filio Dei, tanquam cultus aliquis specialis tribuitur; *osculamini filium* inquit Psaltes, *ne irascatur.* (g) Ut ut enim quadruplicem ex hoc loco sensum literalem deducere allaborarit *Alphonsus Salmeron* (h); unicum tamen illum esse, quò Reges terræ, & potentes in mundo instruntur, ut homagium quasi præstent, atque obedientiam Christo, Regi gloriæ devotè eum adorantes humiliter exhibeant, egregiè demonstrarunt Commentatores in hunc locum. (i) Quamvis enim *osculari* ex naturâ suâ, non sit

G

ado-

(f) l. c. p. 447. (g) Ps. 2. 12. (h) tom. 1. probl. 8. (i) V. Chemnitius de duabus nat. c. 24. p. 134. Dorscheus Pentad. Disp. II. S. 53. p. 102. Höe ad Psal. II. conc. 7. Gerhardus de Magistratu polit. membr. 1. S. 166. Calovius T. I. Bibl. Illustr. f. 941. seqq. Glasius Phil. S. L. II. p. 273. seq. 370. L. V. p. 69. 126. Geierus T. I. in Ps. p. 42. Jac. Martini Lib. III. de trib. Eloch. cap. 112. pag. 735. Venerandus Academia nostra Senior Sennertus Disp. in Psalmos Davidicos anno 1674. Fesselius Advers. S. L. III. cap. 7. pag. 288. Hackspan. Not. Phil. Part. II. pag. 12 seqq. Frischmuthi reverentia Messia
disp.

adorare religiosè, sæpius tamen pro oblatione divini honoris sumitur ut 1. Reg. 19, 18. Os. 13, 2. Joh. 31, 26. atque hoc loco per Metonymiam adjuncti atq; signi, (quod scilicet osculum apud gentiles adorationis symbolum esset,) cultum supremo Numini debitum, & religiosum significare, ex circumstantiis textus satis superque liquet. Jam quâ ratione Pontifex Romanus adorationem atque osculum pedam sibi arrogare queat, non video: siquidem DEUS de honoribus suis nulli hominum quid tributum vult, ac quam gravissimè semper in illos animadvertit, qui Idolatriam sanctitatem ejus offendere ausi sunt. Herodem sane cum honores divinos sibi arrogasset, illico percussit Angelus Domini eò, quod non tribuisset gloriam Deo, & erosus à vermibus, exanimatus est (k) Eadem fere ratione Nemesin divinam expertus est Diocletianus, cujus superius mentionem fecimus, quemadmodum ex Baronio, (l) Nicephoro (m) & Eusebio (n) id annotavit Bonartius. (o) Agnoscant igitur culpam Pontif. R. & summam longanimitatem benignissimi Numinis submissione venerentur, quod insolentiam hanc pari modo in illis non ultus sit.

§. XIV.

disp. anno 1676. habitâ, Herrenschild *Osculologia* num. 14. pag. 49. Mullerus de osculo Sancto p. 46. seq. Flacius Clav. *Script. P. II.* p. 582. edit. Jen. Schnepfius *Comm. in Psal.* p. 9. Arndt in *Ps. 2. conc. 3.* p. 20. E Reformatis Calvin. *Comm. in Psalm.* p. 8. Rivetus *Oper. t. I. in Genes.* p. 606. t. II. in *Psal.* pag. 28. Pareus *P. II. Oper. Theol. Exeg.* pag. 61. *Piscator. in V. T. t. III. Op. p. p.* 113. Drusus *Difficil. Loc. Gen. c. 118.* & in *1. Sam. X. p. 499.* Coccejus in *considerat. Judaic. resp. spons. & quæst. §. 180. p. 87. in ultimis Moysi* p. 211. 274. Horringerus *Thes. Phil. l. 1. c. 2. q. 4. p. 143.* Buxtorfius *Antisrit. P. II. t. 8. p. 673.* *Amama Antibarb. Bibl. l. 3. p. 445. edit. Franeg. & vel maxime Chamier. Panstrat. Cath. T. I. lib. 13. c. 9. n. 2. pag. 33. lib. 15. c. 3. n. 20. p. 264.* (k) *Astor. XII, 22. seq.* (l) *T. 3. ad ann. 316. ab initio n. 2.* (m) *L. 7. c. 20.* (n) in *Chronico.* (o) *ad Esther. c. 3, 2. p. 128.*

§. XIV. Illud autem præcipuè hic attendendum, divum Petrum, cujus se esse successorem, R. Pontifex nugatur, honorem illum nullâ ratione admittere voluisse. Cum enim *Cornelius Centurio ei occurrens, accidens ad ejus pedes adoraret; erexit eum protinus & dixit, surge: & ego ipse homo sum.* Act. X, 25, 26. Quæ ratio Petrum movit, ut delatum honorem ad pedes procidendi & adorandi rejiceret, nec illum à Cornelio Centurione reciperet, eadem manet in omnibus sacrorum ministris, & in Papâ maximè, quò propius se putat Petrum attingere. Unde bene *Polydorus Vergilius (p): Voluit procul dubio Centurio pedes Apostoli exosculari, sed Pater mansuetudinis plenus, id fieri non est passus, dicens: surge nã & ego homo sum, ô vocem memorabilem atqve salus arem! si bene multi se hodie quoqve homines esse perpenderent, qui propterea, quod sacerdotio præditi sint, plane se reliquorum mortalium longe post hominum memoriam imperiosissimos Dominos præbent.* Quod si ergò oscula pedibus figere, Petrus humanitatis suæ memor prohibuit, penitus profectò ejusdem Pontifices, quando Laicorum omnes atqve singulos ad pedes suos abjectos despiciunt, oportet oblivisci. *Ubi sunt igitur, ait Erasmus (q), qui non modo ingenuos, verum etiam summos Monarchas ad oscula, non pedum dico, sed calceorum, non admittunt modo, sed cogunt?* Philippus Macedoniae Rex singulis diebus sibi acclamare jussit: *Φίλιππε ἄνδρα ἄνδρα* & c. (r) Outinam Pontifex Romanus cum homo sit, id quod est, semper se esse cogites (s) Verùm Papa stupor Mundi, non Deus, non homo, sed utrumqve, juxta glossam Juris Canonici. Varia autem Aulæ Romanæ Parasiti hic excipiunt, atqve ut vim hujus argumenti eludant, miri-

G 2

ficè

(p) L. 4. de Inventor. Rer. c. 13. (q) in Comment. ad eund. locum (r) V. Ælianus L. 8. V. H. c. 15. (s) Curtius L. VII. c. 8.

ficè se torquent. *Josepb. Stevanus* (t) distingvit inter bene agentes & delinquentes, nam bene agente *Cornelio*, sed se ei humiliter prosternente, immoderatus honorari recusavit, & se ei similem recognovit. Sed cum *Anania* & *Saphira* culpam reperit, eorum vitam verbo perculit, & quanta potentia super ceteros excrevisset, ostendit. Alii, qui etiam agnoscunt, verisimile non esse, *Cornelium*, qui religiosus dicitur, & timens Deum, cultum Deo debitum, in creaturam transtulisse, ut loquitur *Salmeron*, (u) respondent: *Petrum* non improbasse adorationem, sed eam factam, jus fuisse committes surgere, & doctrinam vitanda ambitionis suis successoribus praeuisse. *Franc. Costerus* (x) id primis illis temporibus non convenisse scribit, quando per paupertatem & abjectionem plantanda erat Ecclesia. *Vasquez*, (y) *Petrum* ex modestia honorem illum recusasse, ut inter homines quotidie fieri solet, quod nihil impedit, ei alioquin cultum & adorationem ratione sanctitatis debitam fuisse. Eadem fere ratione factum illud excusat *Cornelius à Lapide*, (z) humilitatis & modestiae id studio factum, praesertim, quia apud *Judaos* unum Deum adorantes, inusitata & suspecta erat hominis qualibet adoratio. *Lorinus* (a) cum aliis nonnullis veritate victus, fratribus suis contradicit, & concedit quidem non praesolam modestiam honorem hunc recusasse *Petrum*; sed putat *Cornelium* falsum fuisse in opinione de *Petro*, quamvis unum Deum coleret. Qui etiam porro distingvit, inter venerationem per externum corporis habitum, gestumve, & inter venerationem internam, inquit: Verba procidendi & adorandi non obstant, crebro enim in *Scriptura*, & communi quoque usu per externum corporis habitum gestumve, idem hominibus praebeatur honor ac veneratio, quae *Angelis*, & *sanctis*, & *Deo* ipsi, cum interna sit longe dispar ut & quidam exteriores gestus, uni

Deo

(t) de osculo pedum Pontif. R. c. 10. (u) T. 12. tract. 32, p. 210.
 (x) in *Enchirid.* p. 167. (y) in 3 part. quest. 25. art. 5. Disp. 98. cap. 3.
 (z) in *Commentar.* ad b. 1. (a) in *Commentario* ad eund. loc.

Deo proprii. Sed Jesuita *Sanctius*, cum non videret, qua
ratione hæc conciliare posset, in suo Commentario in
Acta, à versibus illis duobus explicandis, abstinere ma-
luit, quàm se tot contradictionibus involvere. Nos
fratres illos Cadmæos inter se committimus, illud
saltem addentes, omnes has araneorum telas dissipare vo-
cem Petri: Et ego ipse homo sum. Quo argumento re-
cusati causam reddit honoris: non *humilitatem* aut mo-
destiam, sed *humanitatem* allegans, quæ honoribus divi-
nis affici non debet. Si ex modestiâ Chiliarchæ bene
agentis honorem deprecatus est Petrus, quantus igitur fa-
ctus in Papà, qui Chiliarcharum Dominos ad pedes adigit,
non solum delinquentes, sed fidelissimos etiam Clientes,
Imperatores, Reges, Principes, Episcopos, Cardinales
etiam eminentissimos. Præterea si eum rejecit Petrus
honorem, ut præberet successoribus suis doctrinam vitan-
dæ ambitionis, quomodo respondent huic fini, quæ à Pa-
pà nunc exiguntur ab Imperatoribus, Regibus & omnibus
in dignitate constitutis. Et si per modestiam Ecclesia
plantanda fuit, certe per superbiam conservanda non est.
Denique deberi sanctis viris vel etiam Servis Dei, (quam-
vis non nunquã vitæ sanctitas muneri non respondeat,) cul-
tum aliquem & honorem non tantum per externum cor-
poris habitum, sed etiam venerationem quandã internam
nulli negamus, quandoquidem *qui bene præsunt presbyte-
ri duplici honore digni habentur.* (b) Sed deberi ipsis eam
adorationem externam, quæ summa est, & submissior fieri
non potest, ne Christo quidem ipsi, si nunc in terris gloriosus
ageret, nunquam iis persuadebunt, qui ex Scripturâ didice-
runt, excellentissimas Creaturas hanc submisionem conser-
vorum suorum rejecisse, uti bene inquit Rivetus. (c)

G 3

§. XV.

(b) 1. Tim. 5, 17. (c) 1. c. n. 33.

§ XV. Accedit & hoc, quod *Mardocheus* probe hæc considerans in *Adjectionibus ad Librum Estheris* (d) (Libro quidem Apocrypho, maximæ tamen apud Adversarios auctoritatis) ita exponat apud Deum rationes, cur *Aman* adorare nolisset: *Cuncta nosti & scis, quia non præ superbiâ, & contumeliâ & aliquâ gloria cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. (Libenter enim præ salute Israelæ iam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quæquam adorarem, excepto Deo meo.* Equidem in diversas hic iterum abeunt sententias Pontificiorum Interpretes, aliis *Aman* honorem verè divinum sibi arrogasse affirmantibus; aliis è contrariò eum tantummodo reverentiam aliquam civilem summam tamen exegisse statuuntibus. (e) Quicquid autem sit, sive honorem divinum sive humanum affectarit *Aman*, neutrum tamen horum absque Idololatrias periculo se illi deferre potuisse judicavit *Mardocheus*, non divinum, ille enim soli Deo competit, neq; humanum, nam fatente ipso *Vasquezio* l. c. *etiamsi signum illud exterius solum reverentia civilis gratiâ, magnâ aliquâ causâ exigente Regibus & Principibus exhibitum fuerit, non debuisse tamen homini quotidie exhiberi, quod tanquam supremum soli Deo reservatum erat.* Et idcirco à *Mardocheo* vocatur *honor Dei*, quia signum erat, consuetudine populi *Israelis*, Domini cultui applicatû. Ex quo sanè evincitur, Ritum deosculandi pedes Papales omnino Idololatricum esse, quia iudice *Mardocheo* per ejusmodi osculum honor Dei transfertur in hominem & aliquis alius præter Deum adoratur. Quæ sane eò fortius urgent & vehementius nodum stringunt contra Pontificis adorationem: nam I. (liceat mihi exquisitis Doctissimi *Riveti* verbis

(d) cap. 13, 11. (e) Videatur *Serar. ad b. l.*

verbis illud negotium explicare) cum Regibus deferatur sub-
missio, etiam extrema ad pedes usque, cum eis deferatur ratione
dignitatis politica, ita distinguit objectum speciem adorationis, aut
(quandoquidem hac vox vix aliter nunc usurpatur, quam ubi agi-
tur de cultu divino) reverentia, ut omnes intelligant esse reveren-
tiam civilem. Sed honor ille, de quo disputamus non deferatur Pa-
pa tanquam Regi Politico, aut Imperatori; sed eum exigit velut
Monarcha totius Eccl. siæ. Proinde tanquam objectum religiosum,
ita, ut cultus ille specie distinguatur ab omnium magnatum civili
cultu. II. Fit etiam hac adoratio, eo modo, qui specialis est Ponti-
fici, & alii nulli communicabilis, quo augetur Idololatria periculum,
imò aperte Idololatria committitur. Si enim coleretur communi
aliis honore, videretur id posse utcumque praecaveri: sed cum honor
ille, ab eo factus sit singularis, & ei soli debitus, & ab omnibus &
CHRISTI LOCO, non dubium est, quin cultus ille civilis modum
excesserit. & per eum constitutus fuerit in locum illius, qui se elatus
rus erat super omne orbem 2. Thess. 2, 4. ut merito ei applicari
possit illud Zacharia II, v. 17. ò Pastor & Idololum &c. ! Haftenus ille.

§. XV. Addo quod ritus hic manifestum Antichri-
sti regnum sit, de Bestiâ enim illâ Apocalypticâ, prædictum
est, quod Reges vires & potestatem suam ei tradituri, (†)
& omnes Terra inhabitatores illam adoraturi sint. (*)
Unde non possumus non Durando fidem habere scribenti:
Non vatare Mystero, quod summus Pontifex septem modis
accipiat osculum; (f) his enim magnum illud Iniquitatis
mysterium nobis patefacit, ac digito quasi, Bestiam illam
septem capita habentem monstrat, quæ in loco Dei sedet,
atque omnes omninò homines, Reges etiam atque Impe-
ratores ad pedes suos deprimat, hos enim Canum ad in-
star, qui morfu & externâ vi defendunt Ecclesiam habet R.
Pontifex. Hi canes, inquit Becanus, (g) quamdiu fidi &
exercitati sunt, Pastori ad manum esse debent, ac si languidi,

(†) Apol. 17, 13. (*) cap 13, 8. (f) Rational. L. 4. c. 53. n. 17.
(g) in Controversiâ Anglicanâ qv. 3.

si rabidi, si inquieti, si ovibus molesti esse incipiant, mox à Pastore submovendi, & ab officio repellendi sunt. Quod si tantum potest Pastor Romanus in Canes Reges & Imperatores, quid mirum si etiam velit canes illos sibi προσκυνέειν, nihil enim frequentius est, quam ut canes Dominorum suorum pedes lambant.

§. XVI. Ineptam hanc servitutem Gentilium quoque Prophetissæ (quo nomine Sibyllæ à nonnullis Patribus insigniuntur) in oraculis suis prædixerunt. Ita enim Erythrea, quæ vulgò Japheti uxor perhibetur: ἐν σοὶ (Ρῶμα) καὶ βασιλεῖς σῶμα δύσμορον ἐξαιμήναν. h. e. in te ô Româ Reges miserum os commacularunt, osculo scilicet pedum & Sandalii Papæ. Ob quod eadem Sibylla Romam seu Papam Romanum vocet χρυσόβαρνον & χρυσοπέδιλον, uti legere est, apud Erasmus Smidium. (h) Quæ quidem non eo fine adduxi, ac si in eâ essem sententiâ, Sibyllarum oracula genuina esse, quemadmodum quidem nonnulli ex Patribus, multis sane Sibyllas encomiis prosecuti sunt, præprimis Hieronymus, (i) atque Lactantius. (k) Clemens Alexandrinus è Concione quâdam Pauli, eum commendasse Sibyllinarum lectionem commemorat. (l) Et Justinus Martyr (m) conqueritur, quod à Gentibus fuerit prohibitum, legere Sibyllinos libros. Quibus è nostratibus accessit Erasmus Smidius, qui Sibyllas Prophetissas fuisse & Carmina eorum, quæ hodie circumferuntur genuina esse putavit. (n) Nos enim illis omnem derogamus fidem, & pleraque oracula illarum seqvioribus seculis conficta esse

(h) de Libr. Sybill. auctoritate p. 103. (i) ad Jovianum. (k) L. 4. cap. 15. (l) L. VI. Stromat. (m) in orat. ad Antonin, Pium. (n) in citato tractatu de Libr. Sybill. auctoritate.

esse invictis rationibus persuasi sumus. (o) Sed in confu-
sionem Adversariorum allegatum Erythreae effatum hic in
mediū adduxisse, non abs re esse putavi, utpote qui multum
sanè auctoritatis Sibyllinis hisce oraculis tribuere solent, uti
vel ex eo constare potest, quod Magnae Bibliothecae Veterū
Patrum ab initio statim eadem inseruerint. (p) Imò Ba-
ronius non dubitavit asserere; *Sibyllos ex perpetuae virgini-
tatis merito, affecutas esse lumen Propheticum.* (q) Hi igitur
Podolatriam Papalem ab Erythrea hic praedictā imò &
improbata videbunt, quā bene enim omnia Idolo suo con-
veniant, perspicillo non opus habebunt Basiatores nostri.

§. XVII. Si ex Veteris Ecclesiae dicteriis res illa di-
judicanda esset, plura forsā, quae ad nostram sententiam
confirmandam faciunt, adducere possem. Brevitatis
tamen studio unicum saltem Hypponensium Praesulis D.
Augustini locum adduxisse sufficiat, qui ad verba Ps. XLVI.
Subjecit plebes nobis, & gentes sub pedibus nostris, ita
commentatur. Putas ergo, esse voces Apostolorum, subje-
cit plebes nobis & gentes sub pedibus nostris? nescio. Mi-
rum si Apostoli tam superbè loquerentur, ut gauderent
gentes esse positas sub pedibus suis: i. e. Christianos sub
pedibus Apostolorum. Etenim gaudent nos secum esse

H

sub

(o) Vid. Patrum Orthodoxographa p. 895. 1955, 1965. Boissar-
dus in oraculis suis. Delrio Disquisit. Mag. L. IV. c. 2. qv. 6. B. Hülse-
mannus in Jerem. p. 6. B. Calovius in System. T. 1. p. 444. 445. Ursi-
nus in Zoroastre Baetriano p. 226. Mares in Sylloge Disput. part. 2.
p. 489. seq. 16. 27. seq. Tob. Wagner. Inquisit. in Oracula Sybillar. de
Christo. Clar. Dn. Georg. Green in pecul. de Sibyllis dissertat. Thoma
Reinesii dissertat. critica de Sibyllinis Oraculis. Dan. Clasenii de Orac.
gentil. L. 3. cui accessit Onuph. Panvini de Orac. Sibyll. Petri Pe-
riti tractatus de Sybillis nuper admodum editus. (p) V. Magn. Bi-
blioth. Patr. à Margaxino de la Bigne collecta edit. Colon. 1618. T. I.
p. 189. & edit. Paris. 1624. T. 8. p. 1. (q) in Apparatu 18. seq.

sub pedibus illius, qui mortuus est pro nobis. Quod au-
tem in specie foedum illud cadaveris papalis pedum o-
sculum attinet; è diametro illud Ecclesiae sancitis repugnat;
quippe in Concilio Antisiodorensi Canone 12. expressè pro-
hibitum: Non licet mortuis, nec Evcharistiam, nec oscu-
lum tradi, nec velo, neque palliis corpora eorum involvi
apud Caranzam. (r)

§. XVIII. Sed neque illud prætermittendum, ipsis
quoque cordatioribus Pontificiis, morem hunc pedes Pa-
pales deosculandi displicuisse. Quo pertinent hæc Cardi-
nalis Zabarelli (s): *Esset etiam considerandum, de reveren-
tiâ faciendâ Papa, ne in eâ excedatur modus, ut videatur non minus
honorari Papa, quàm Deus. Ita enim honorandus, ut non adoretur.*
Et Polydorus Vergilius (t) inquit: *Si bene multi hodie se quoque
homines esse perpenderent; qui propterea, quia sacerdotio præditi
sunt, plane se reliquorum mortalium longe post hominum memoriam,
imperiosissimos Dominos præbent, non communes Patres, ut fieri de-
beret.* (quem locum tamen profus alio modo recitat Clar. Fesselinus (†))
Nec minus Papyrius Massonus, (u) notabo inquit Jacobi Fabri pruden-
tissimi J.C. verba, videlicet, *Papa in verbis dicit se servum servorum
Dei, de facto autem se adorari permittit, quod Angelus in Apocalypsi
refugit. Videtur autem id dicere, quasi damnans consuetudinem
eorum, qui demississimè procumbunt ad pedes Pontificis, ut signum
crucis in superficie Calcæi intexum deosculentur: qui mos an sit an-
tiquissimus nescio, nondum enim omnia legi; sed hoc scio, consuetudi-
nem illam Cisalpinis populis minus probari, quam Italice genti ad bu-
jus generis obsequia, & demissiones nata.* Conf. Faucher. apud Molinæ-
um. (x) Unde factum quod nonnulli, heroico spiritu Superbiæ Pon-
tificiæ masculæ restiterint, neque unquam sese ad pedum oscula adi-
gi passi sint. Nam ut de Christophoro Wirtembergico, Guilelmo
Comite Furstembergenfi, Daniae Regis legato, aliisque, de quibus vi-
deri poterit Sleidanus (y) jam nihil dicam; tempore Concilii Flo-

rentini

(r) in summâ Concil. p. m. 377. (s) in tract. de Schismate In-
nocentii VII. & Benedicli. (t) L. 4. c. 13. de Rer. Inventor. (†) in adver-
sar. Sacr. L. 3. c. 7. §. 4. (u) de Episcopis urbis in Benedicli. 12. (x) in
Hyperasp. L. 1. c. 26. (y) l. XII.

rentini Græci, & Patriarcha Constantinopolitanus, licet pressi essent armis Turcicis, & auxilii petendi causa Florentiam venissent, nihilominus fortiter osculum pedum Papæ recusarunt, quâ de re testantur acta Concilii hujus, quæ prolixè recitat *Clar. Beckmannus*, (z) ad quem proinde B. L. brevitatis studio remissum volo.

CAP. III.

Problematicum.

QVÆSTIO I.

An Evangelici salvâ conscientia pedes Pontif. R. exosculari queant?

Decisio hujus quæstionis, ex antea dictis facillima est, quod si enim P. R. nullâ ratione cultum hunc sibi arrogare potest, quia merè est idololatricus, & Pontifici defertur non ut civilis, sed ut religiosus, ex hyperdulia, non ut politico Principi, sed ut ipsissimo Anti-Christo; quis sanè illum religiosè colere integrâ conscientia possit? Major Evangelicorum in Deum pietas, & sanctior erga Domini Præceptum observantia esse debet, qui cultum sibi debitum alii ut deferamus, ferre nequit: *Ego Dominus hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* (a) Directè peccatur hæc ratione in Deum, cui Religionem externè non exhibetur æque ac internè, corpore æque ac animâ, sed potius Idolo, contra 1. Reg. 19, 18. 1. Cor. 10. 21. Deus enim diligere vult ex toto corde, ex totâ animâ Matth. 22, 37. Quis autem credat, illum toto corde ac totâ animâ Deum suum diligere, qui præter unicum Ecclesiæ caput, ac amantissimum animarum Sponsum, cui semel fidem dedit, Jesum Christum, (b) alii capiti ac turpissimo Christi Rivali homagium præstat, atque in impuros meretricis Babylonicæ amplexus, cæco quasi impetu ruit, ut adeò ei non immerito illud Jeremiæ adscribi possit: *frons mulieris scortantis fuit tibi, renuisti pudore suffundi.* (c) Neque excusat aliena ab horum gestuum intentione mens; Intentio enim sola non facit actionem aut bonam aut licitam, sed requiruntur & omnes aliæ circumstantiæ, juxta communem Doctrinam moralem: *bonum non nisi ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.* Hac ratione etiam Jeroboami Idololatria, & ritus omnes Gentiles atque Idololatrici à Pontificiis aliisque observati, denique pleraque alia peccata excusari possent,

H 2

quia

(z) l. c. p. 167 (a) Es. 40, 8. c. 68, 11. (b) Eph. 1, 22. c. 5, 23. (c) Jerem. 3, 3.

quia scilicet idem non intendunt, quod crassi Idololatræ aut Gentiles aut alii peccatores. Deinde occulta hæc intentio nihilominus crassa atque indecora Simulatio est, quæ religionem nostram abnegamus atque capita nostra Antichristi jugo submittimus, contra expressam Pauli adhortationem: *ne impari jugo copulamini cum infidelibus, quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? & quæ communicio lucis cum tenebris, & quæ Concordia Christi cum Belial? aut quæ portio fidei cum infideli?* (d) Pugnat hic sanè homo exterior cum interiori & eò damnabilius agit, sic agit enim, ut eum Populus veraciter agere existimet, ait D. Augustinus. (e) Conf. Thomas. (†) Nec minus eo ipso infirmis scandalum præbetur iidemque seducuntur, Pontificii confirmantur, vera religio ignominiam, pii tristitiâ afficiuntur contra Matth. 18, 7. 1. Thess. 5, 22. Eph. 5, 11. Estimatur autem scandalum non ex particulari & arcanâ intentione operantis, sed ex manifestâ conditione operis. Optime Tertullianus: *Nefas est ulli de suâ Religione mentiri. Ex eo, cum quod aliud à se soli fingit, quàm colit, negat quod colit, & jam non colit, quod negavit.* Plura in hanc rem dabit **MAGNIFICUS DOMINUS PRÆSES** (f) B. Dannhauerus (g) & Voetius. (h)

QVÆSTIO II.

An saltem eo respectu, quatenus Papa est Princeps Politicus osculum pedum eidem, tanquam reverentiæ aliqua civilis deferri queat?

Ad quam quæstionem iterum respondeo negando. Nam primò Pontifex R. jure divino Principatum gerere non potest, uti à Theologis nostris alibi fusiis ostenditur. Deinde utut de facto nunc Princeps Italiæ (quo jure quæve injuriâ aliis considerandum relinquo) existat, non tamen eo respectu pedum osculum ipsi deferri potest, cum eò illud non exigat Rom. Pontifex, sed ut cultum aliquem religiosum, ab omnium magnatum civili reverentiâ specie distinctum, sibi soli ab omnibus & Christi loco debitum. Jam vero de moralitate alicujus cultus non ex arcanâ intentione deferrentis, sed

(d) 2. Cor. 6. 14. (e) de Civit. Dei L. 6. c. 10. (†) 2. 2. qv. 3. art. 1.
 (f) Im Reisenden. Lutherauer/Gewissens Unterrichts pag. 41. seq. . 138.
 (g) Colleg. Decal. ad præcept. 2, pag. 395. & in Auctur. quæst. moral. cap. 6. qv. 3. [b] in Dissers. de Idololat. indirect. T. 3. p. 274. seq.

ex voluntate & desiderio exigentis judicari debet. Neque sola intentio uti jam dictum actionem bonam atque licitam reddere potest, sed præterea diligentissima Circumstantiarum omnium requiritur observatio. Ut ut igitur aliquis pedum osculum tanquam reverentiam aliquam civilem P. R. deferre intendat, non tamen propterea à crimine Simulationis Idololatriæ absolvi poterit, quippe qui specie externâ cultum religiosum Papæ se detulisse simulat. Vide quæ superius hæc de re cap. 2. §. 15. diximus. Accedit & hoc, quod pedum osculum reverentiæ civilis terminos omnino transgredi videatur, & ritus ille turpis, inhumane, & plus quam servilis, juxta ipso Lipsio sit. (i). Quemadmodum enim pedes infimum inter membra corporis nostri locum occupant, ita, qui infra eosdem se demittit, inferior certe iis, vilissimumque quoddam mancipium sit oportet: Ejus enim hoc est, qui extremam experitur fortunam, ab altero victum se fatetur, ultrovè illius se submittit potestati, ac omnem denique cum honore & dignitate Libertatem amisit. Equidem non ignoro, fuisse etiam nonnullos magnos Principes, qui non unâ vice id fieri sibi passi sunt, quos recenset Clar. Beumannus. (k) Verum num bene fecerint, & an etiam ex bonis fuerint, valde dubitatur. Siquidem cordatioribus Imperatoribus semper id stomachum movit, neque illi unquam id fieri sibi passi sunt. De Maximino Seniore refert Julius Capitolinus (l) quod nunquam passus sit sibi pedes osculari, dicens, Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. Plinius etiam in Trajano laudat, quod id non fecerit: non civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Imò Ferdinandus II. à Sacro ordine ne quidem manuum oscula admittere voluit: Uli manum dextram omnibus Sacerdotibus dedit, ita nulli osculum permisit, illud benevolentia, hoc reverentia deberi professus, teste Lemmermanno. (m) Quam graviter Cajum Caligulam ob admittenda Pedum oscula Seneca redarguerit, notum est; qui excusans, inquit, & negant id insolentiæ causâ factum, ajunt foculum auratum imò aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est, & alioquin nullam partem in corpore ejus electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, ut mores libera Civitatis, Perficiat

H 3

servi-

(i) L. 2. Elect. cap. 16. (k) Loc. cit. p. 170. (l) Histor. Caesar. Aug. edit. Casaub pag. 268. (m) in vitâ ejus cap. 9.

fervitute mutaret, parum judicavit, si Senator senex, summis usus ho-
 noribus in conspectu principum supplex sibi eo more jacuisset, quo victi
 hostes victoribus jacuere: invenit aliquid infra genua, quo libertatem
 detruderet. Non hoc est Rempublicam calcare, & quidem dicit aliquis
 (nam potest ad rem pertinere) sinistro pede. Parum enim fœde furio-
 seque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat,
 nisi in os senatoris injecisset Imperator pigros suos. O superbia magna
 fortuna! Hæc Seneca. (n) Quæ probè perpendens Dux Rollo, nullâ
 ratione pedes Caroli simplicis sive Sexti Regis Gallorum osculari
 voluit, quod ex veteri MSCto Codice Monasterii Andegaven-
 sis non illepidè recitat Lansius: (o) Carolus Stultus dedie
 Normanniam Rolloni cum Filiâ Gûla: Hic non est dignatus
 pedem Caroli osculari: Cumque comites iterum admonerent, pedem Re-
 gis acceptione tanti beneficii oscularetur, Lingvâ Anglicâ respondit:
 Nese by God: quod interpretantur: Non per Deum. Rex verò &
 sui illum deridentes & sermonem ejus corruptè referentes, illum vocave-
 runt Bigodi. Unde Normanni adhuc vocant Bigodi. Continuationem
 annectit Kranzius; (p) Horruisse liberum animum Ducis invicti, servile
 ministerium, aliumque ex adstantibus officio vicarium dedisse, cui Rex
 pedem protendit, ille verò apprehenso pede Regem resupinavit. Indi-
 gnati nonnulli ex Francis infremuere, alii altius secum populi libertatē &
 ferocitatē reputantes, Regem placavere. Imò moratiores gentiles ex lumi-
 ne naturæ, ritum hunc inhumanū ac plus quam servilem esse agnoscen-
 tes, mortem potius oppetiēre, priusquam se ad pedum oscula adigi, passi
 essent. Prolixum eorum Catalogum recenset Serarius (q) Quod si igitur
 Gentiles injustum ac indecorum hoc esse putarunt, quidnī Chri-
 stianis incumberet, probe dispiciendum, ut in honoribus homini-
 bus deferendis modus servetur, & ne aliqua de cultu divino usurpentur,
 quæ honoribus deferantur humanis, sive humilitate nimia sive adula-
 tione pestifera ut loquitur Augustinus. (r) Egregiè & ex professo de hâc
 re egit ingenuus ille Pontificius Job. Filesacus Doctor Sorbonicus, in
 Libello suo sanè docto de Idololatriâ Politicâ qui omninò hic con-
 ferendus erit.

QVÆ-

(n) L. 2. de Benef. cap. 12. (o) orat pro german. pag. 18.
 (p) Norveg. L. 2. c. 26. (q) in Commentar. ad Estb. cap. 3, 2. p. 327.
 (r) L. X. de C. D. c. 4.

QVÆSTIO III.

An dolo Papam R. circumvenire, & speciem quidem adorationis non autem veram adorationem eidem prestare licitum sit?

Occasionem huic quæstioni nobis dedit *Ismenias* Orator ac Princeps Thebanorum sapientissimus, is enim legatione ad Persarum Regem susceptâ, eundem de fidei commissis convenire volens, ut ex lege, rituque Gentis eum adoraret iussus: Deduc me inquit ad Chiliarchum. Cumque accessisset ac in conspectum Regis advenisset, annulum, quem gestabat digito detractum clam abiecit ad pedes, confestimque procumbens, tanquam adoraret, vicissim sustulit, & sic opinionem quidem adorationis non autem verè adorationem Persarum Regi præstitit. (s) An itaque pari ratione in osculo pedibus Papæ exhibendo dolo quis uti queat? non immeritò disquiritur. Ut paucis me expediam, puto hac ratione quidè aliqvé à tanto non autè à toto crimine absolvi, manet enim adhuc externa species atque simulatio veræ adorationis. Neque obstat necessitas Politica atque Legationis à Principe sibi injuncta Provincia, hic enim *plus Deo, quam hominibus obediendum* Actor. 5, 29. & valere debet illud *Juris Civilis: Quæ facta ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est* (t).

QVÆSTIO IV.

An Crucem Dominicam in solo ac pavimento, quod pedibus calcatur, insculpere aut pingere liceat?

Exstat pro parte negante *determinatio* Doctoris cujusdam Parisiensis de ordine Fratrum minorum, quam *Epistolâ peculiari* refutavit *Ægidius Bailleul* Doctor Lovaniensis, quæ ibidem excusa fuit in 4to typis Joh. de Westphalia. *Molanus* (u) extendit hoc ad quasvis Sanctorum historias in pavimento non tantum, sed & iis in locis non ponendas ubi clavi sunt figendi; Quibus præter *Corn. à Ryntelen* (x) accedit quoque *Bosius* (y) Et in *Concilio Constantinopolitano* can. 73. expresse sub anathematis periculo hoc prohibitum: *Cum crux vivifica illud salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei,*

per

(s) *V. Ælianus* L. 9. c. 21. (t) *L. filius*. 15. *D. de condit. instit.*
 (u) *de Picluris* cap. 35. (x) *in Juristâ Romano Catholico* (y) *de Cruce gloriosâ* L. 6. p. 680.

per quam antiquo lapsu salvati sumus, eum, qui par est honorem habeamus. Unde & mente & sermone & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ à nonnullis in solo ac pavimento sunt, omninò deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoria nobis tropheum injuriæ efficiatur. Qui secus fecerit, excommunicari decernimus. Imò in Codice Justiniano expressa habetur Constitutio: Cum sit nobis cura diligens, per omnia supremi Numinis religionem tueri; signum Salvatoris nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere, sed quodcumque reperitur, tolli, gravissimâ penâ mulctando eum, qui contrarium statutis nostris tentaverit, specialiter imperamus. (2) Occasionem hujus interdicti annot. Hago Grocius. (†) Quæ eo fine adduxi, ut constet quid de Cruce Sandaliis Papæ intextâ habendum, & quam graviter eo ipso secundum ipsorummet Adversariorum sententiam peccet R. Pontifex.

Et hæc est qualiscunque nostra de Osculo Pedum P.R. commentatio. Animus quidem erat nonnulla adhuc Problemata subjicere. E. g. quare Pontifex soleâ B. Virginis, quæ in Hispaniâ estenditur, (††) non utatur? cum tamen Papa Joh. XXII. soleam illam ter osculantibus, & ter ave Maria cum devotione recitantibus, 700. annorum indulgentias concesserit. Item quare Pontifex R. crepidâ utatur rubicundi coloris? quam quæstionem prolixè, satis tamen inepte discussit Antoninus Diana; (†††) si enim hanc causam dedisset, quòd pedes Pontificis Sangvine Sanctorum madidi sint, & Basiatores illorum os inde cruentum ac pollutum referrant, rem forsam acu tetigisset. Sic quoque de eo ex genio Scholasticorum (*) disputari potuisset; quid cum mure illo, qui pedes Pontificis demoreui propediem osculo excipiendos aliquando arrosit, agendum sit? Sed quia Dissertatio hæc præter opinionem exerevit, finem ei imponere cogor, Deo Ter Optimo, Terque

Maximo pro concessâ Spiritus sui Sancti largâ gratiâ
immortales persolvens gratias.

(2) L. unic. C. nemini licere signum Salvatoris. (†) Florum Spars. ad Jus Justinian. p. 280. (††) V. Rivetus in Apol. pro B. Virgine T. 3. Oper. (†††) Part. XI. Tract. de adorat. Summ. Pontif. Resolut. 19. f. 506. 507. (*) V. Holderi Murem exenteratum, ubi ineptas illas altercationes Scholasticorum de mure hostiam consecratâ comedente lepidè ac false perstringit.

FINIS.

05 A 2484

ULB Halle

3

004 545 338



1017







Farbkarte #13

B.I.G.



CO-THEOLOGICA
UM PE-
TIFICIS
NI.

verendo Theo-
io,

VE MAGNIFICO,
LAYERO,
Theologo
minorum Electora-
pli OO. Sanctorum
ntissimo, &c.

ac Promotore meo,
e cultu eternum

g. M. DC XXCVII.

ini sisto
S Rothwanger /

, Acad, Typogr.

